DE REBUS GESTIS
JOANNIS II.
LUSITANORUM REGIS,
Optimi Principis nuncupati

AD

AUGUSTISSIMUM REGEM

PETRUM II.

AUCTORE

EMMANUELE TELLESIO SYLVIO,

MARCHIONE ALEGRETENSI, Regi à Sanctioribus Consiliis, è Primariis Cubiculario, Triunviro fisci moderatore, &c.

ULYSSIPONE.
Excudebat MICHAEL MANESCAL,
Sancti Officii Typographus.

M. DC. LXXXIX.

Cum facultate Superiorum.

AUGUSTISSIMO PRINCIPI

PETRO II.

LUSITANORUM REGI

DOMINO SUO.

CUM solenne Scriptoribus sit nulla scripta absque defensore edere: multis quidem nominibus, Rex Augustissime, Maiestatis tuæ opem huic libello implorare audeo. Quid enim lætiori vultu, quàm boni Principis memoriam optimus Princeps excipiet? Quis etiam libentiori animo familiaris opera, quàm ipse Dominus proteget? Quis denique potentiori manu præsidium implorantem, quàm potentissimus Rex tutabitur? His ergo, Domine, fretus, non temerè spero fore, ut clementia tua, quam indulgentissimam non expertus est nemo, hoc ignobile opus tuo præclarissimo nomine illustrari ne dedi-

gnetur; & quidquid ſtylus in artem peccaverit, benigné condonet. Quæ ſi concedas, tam Auguſto patrocinio munitus, nec á tam ſublimi judicio damnatus, & temporum injuriam, & Criticorum ſeveritatem minimè formidabo. Vale, Rex Auguſtiſſime, ut ſub tuo æquiſſimo regimine res Luſitana indies prævaleat. Dabantur Ulyſſipone pridie Kal. Mart. Anno Domini M.DC.LXXXVIII.

Marchio Alegretenſis.

LECTORI.

POstquam in more positum est, ut scriptores benevolétiam lectorum conciliare conentur, hoc quasi candidatorium munus mihi non omittédum putavi: quippe qui libellum in lucem mittit, legentium clementiâ maximè indigentē, adrogantiæ meritò incusari poterat, si quæsitam vel à doctissimis indulgentiam, ipse quidem indoctus non accuratiùs quæreret. At sicut ingenuè fateor Opusculum ineleganter compositum esse, ita non malè spero, ut, qui Epitomē legerit, quid

in ea damnandum judicaverit, facilè indulgeat, si tempus, quo scripta fuerit, consideret; nam

Ouvid. Trist. l. 1. Eleg. 1. *Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum*
Quærere, quæsito tempore tutus ero.

Quando igitur lector invenerit aliquid vel ab historiæ dignitate alienum, vel ab antiquo latinitatis candore dissonum; oportet sciat me non per otium, aut pacato animo, sed publicis negotiis, gravibusque curis districtum, inconsultis etiam optimè scribendi exemplaribus, & Latinæ linguæ auctoribus opellam confecisse; & idcircò, quávis opus justè damnaverit, auctori tamen libenter parcere debet.

Vale.

E-

EPISTOLA EXCELLENTISsimi Domini Caroli Josephi de Ligne Principis S.R.J. Marchionis de Aronches ad Auctorem.

Excellentissime Domine.

QUOD Halicarnasseus rectè olim monuit, in conscribenda historia observandum in primis esse, nimirum ut narratio perpetuo veluti filo ducatur, & aptè colligetur, hoc non minori attentione, quàm animi voluptate, in Epitome tua accuratissimè observatum esse deprehendi: quod verò sapienter idem addit, primum historici Scriptoris officium à se existimari, ut priusquam animum ad scribendum adjiciat, materiam eligat pulchram jucundam nobilem, & eam, quæ legentium animos voluptate

De judicio Hist. Thucyd. cap. 1

ſimul perfundat, ſimul & optimis exemplis ad mores inſtruat, id à te ſtudioſiſſimè præſtitum quis non videt?

Elegiſti enim tibi deſcribenda, & ſeræ poſteritati conſignanda Joannis II. Sereniſſimi Luſitaniæ Regis atque optimi Principis geſta, quibus an jucũdius nobiliuſve, an æternâ hominum memoriâ dignius eligi argumentum poſſit haud ſcio. At parum enimvero fuiſſet tam nobilem materiam elegiſſe, niſi eam nobiliſſimâ formâ animaſſes; talis eſt vivida illa tua, ſemperque ſui ſimilis & æqualiter procedens Oratio, quæ uti nuſpiam immodicè extat, ita neque ullos patitur hiatus, & graviſſimis, ubi res exigit, ſententiis ornata, leniter profluit: quod ego quidem orationis genus, Luciano Duce, Hiſtoriæ accõmodatiſſimum ſemper exiſtimavi, præcipuè ſi, ut monet quem primo numeravi loco, nihil in ea ſquallidum, nihil inſulſum aut rude inveniatur, ſed

Lib. quomodo ſcribenda ſit Hiſtoria.

Poeticum

Poeticum quiddam habeat, ita tamen, ut neque Poetica omnino sit, & tamen paulò extra communem loquendi usum evagetur, si demum talis sit, qualis tua mihi visa est, & omnibus, ni fallor, prudentibus æstimatoribus videbitur. Quo quidem scribendi genere id certé feliciter es consecutus, ut nobis absolutissimam, & vivis maximé coloribus depictam imaginem præstantissimi Regis velut ob oculos positam exhiberes, in qua, velut in speculo, se ipse, si vivat, facilé agnoscere queat, neque se talem agnovisse Joannem pœniteat, fortè etiam aliquo ipsius imaginis tangeretur amore, facilè ad ipsius imaginis pictorem transituro. Etenim in illa se intuens, agnosceret generosos illos, quibus præditus fuit, spiritus, constantem illam & imperterritam rebus in arduis mentem, sagacem in explorandis hostium consiliis, solertem in reserandis aureâ clave abditis Regum arcanis, quæ

in arte regnandi non infima Principis virtus jure merito existimatur. In illa se agnoscere in tractandis negotiis prudentem, in coercenda Optimatum impotentia fortem, in opprimendis conjuratorum vigilem, in extinguendis seditionum scintillis providum, in acie strenuum non minus militem, quàm cautum Imperatorem, in ea denique contemplaretur severitatem temperatam clemētiâ, regiam sine prodigalitate munificentiam, atque ad vivum expressas eas omnes animi corporisque dotes, quibus jure merito optimi Principis nomen est consecutus: ego verò id certé profiteor consecutum esse me, ut intelligam (quamvis non incuriosus omnino sparsa in variis Scriptoribus Joannis gesta legerim) nunc tandem primùm cognovisse me, qualis quantusque Rex fuerit Joannes, nimirum absolutissima Regnantium norma, ac talis qui non alio, quàm tuo calamo digné nobis poterat repræsētari. Ut proinde dubitare

bitare meritò possim, cui potiùs gratuler, an tantum Heroem tam illustri Scriptori, an tanto Heroi tam illustrem Scriptorem obtigisse, utrique profectò ex æquo mihi gratulari licitum hìc esse existimo, quando brevis illa tua, sed elegantissima Epitome ad gloriam Joannis ubique Gentium propagandam nihilominus valitura est, quàm valitura sint præclarissima ejus gesta à te descripta, ad splendorem nominis tui, dignitatemque tuam illustrandam : neque ob hoc verear, si vivat Joannes, temeritatis, aut imprudentiæ argui, ab eo scilicet, qui adeò literarum Literatorumque amans fuit, describendis Lusitanorum gestis Politianos sibi ex Italia crederet accersendos : certè si quid Joanni, hoc unum ad magnitudinem hactenus defuerat, ut parem tibi Scriptorem nancisceretur ; neque enim si te nosceret, foris Politianum accersisset, qui in sua Lusitania Politianum in te, politissimum inquam Scriptorem .

inveniſſet: quare ſi aliquò apud te loco erit meum de tua Epitome judicium, illam, nihil veritus invidâ Criticorum cenſuram, luce publicâ donabis magno futuram Sereniſſimi Regis atque optimi Principis, totiuſque rei Luſitanæ, ac tui ipſius ornamento, communique omnium emolumento. Ita cenſebam

Carolus Joſephus de Ligne Princeps S.R.J. Marchio de Arronches.

Datum quinto decimo Kalendas Novembris.

E

EPISTOLA EXCELLENTISſimi Domini Ferdinandi Meneſii Comitis Ericerienſis, Regi à Conſiliis Status ad Auctorem.

Excellentiſſimo Domino Emmanueli Tellio Sylva Marchioni Alegreti.

Ferdinandus Meneſius Comes Ericeriẽſis.

S. D.

COmpotem me feciſti maximi voti, Marchio præclariſſime, quia ſuaviſſimæ Epiſtolæ inſuper addidiſti librum de rebus à Joanne II. geſtis à te Latinè, & eleganter ſcriptum. Rogas, imò jubes imperata libenter facturo, ut quid ſentiam de opere tuo pulcherrimo, fide publicâ adnotarem, & quæ emendanda, aut addenda proponerem: quippe ille es, cui vera tantummodo placent, & ego tuum ſequutus exemplum dicere aſſuevi. Hercule inſidia-

ri

ri videtur amico, qui clandestinis existimationibus ea laudat, quæ in lucem edita veretur ne ab aliis arguãtur, præsertim à Criticis, qui nec illis parcunt, quos ut historiæ principes veneramur. Multa me utique poterant ab hoc mihi à te munere imposito dehortari: primum, ne contingeret laudes operis eximii, & tuas culpâ deterere ingenii; deinde quia te præceptorem veneror, & nõ decet discipulum erudientem erudire. Sed cùm ea sit obedientiæ ratio, ut non aliter constet, quàm parendo; quid sentiam libenter expedio, indutus Censorium superciliũ. Historiam utiliorem esse ingenii fœtum simul difficilem, & periculis obnoxiam, ipsi, qui in ea adepti sunt famam, assiduè testantur. Aliorum exemplo admonentur in ea principes, & optimi cujusque famâ excitantur ad gloriam, impiorum verò exitu, & infamiâ deterrentur: difficilem tamen, quia nonnullis nimia libertatis dulcedo exitio fuit: aliis adulatio,

adulatio, & assentandi libido contemptum, & infamiam peperêre; unde pauci, quos Æquus amavit in hoc scribendi genere ad fastigium pervenêre. Ideo historiæ principes tunc, cùm vigebat maximè Eloquẽtia in Latio nati, & ab ipsis cunabulis suamet linguâ simul, & Græcâ omnibus Eloquentiæ legibus exerciti, ita verebantur scribere, ut nullo modo in lucem ederent, nisi eam prius cum amicis conferrent, & ab eruditissimis probaretur. Hoc satis constat ex Secundi ad Tacitum epistola, quà librum suum emendatum remittit, rogans, ut vicem redderet in eo, quem eâdem lege crediderat. Taciti tui, quẽ á Latio in Lusitaniã reduxisti, exemplum sequeris, sed non Plinium invenisti, qui te, nisi temerarius sit, audeat reprehendere, quamvis ipse, uti scis, historiam scribo de Bello Lusitanico, longo, sed tibi proximus intervallo, ut comparatione tuæ, gloriâ maximè augeatur. Historiam tuam non legendam

††† solùm,

ſolùm, ſed lectitandam ſuſcepi, ita ut ne apicem quidem ſine meditatione tranſirem. Ideo viſa eſt mihi omnibus numeris abſoluta. Si, ut ait Plinius ſuadenti, ut eam ſcriberet, vereri ne omnibus intentus alterum cum altero ſtylum confunderet, quia in hiſtoria alius ſonus, alia verba, alia conſtructio; hæc quippe narrat, illa extollit, nec ullam nobis ad exemplum reliquit, ſed te unum inveni, qui hoc ſcribendi genere Plinium ſuperares, & legibus ab eo, aliiſque latis ſubjaceres. In narratione candorem ſimul, & eloquentiam cum hiſtoriæ dignitate conjungis, minima quædam è medio petita contemnis, ad digniora totus incumbis; Taciti exemplo aſſerentis è dignitate Populi Romani repertum fuiſſe res illuſtres annalibus mandare, eam tamen judiciis, & ſententiis ornas, ut pelliceat legentium animos, & ceu purpura aureis floribus diſtincta augeat ſplendorem. Verba non Latina dumtaxat, ſed ab Auctoribus de-

prompta

prompta illius sæculi, quo vigebat maximè Eloquentia, imò dixerim ab ore Musarum mutuata, ambrosiâ plena, nectare delibuta, tanquam Apollinis cupedias exhaurires. Ubi res postulat, oratio quasi è carcere narrationis soluta sese diffūdit uberiùs, & Eloquentiam á claris Oratoribus mutuatur, & cùm alter ab altero distinguatur stylus, tu diversa inter se perinde conjungis, ac non possis confundere, & ibi facere, quod hìc debes; & ipse Plinius verebatur. Etenim historia tua bonarum artium compendium est. Cùm tam arduum sit scribendi historiam munus, tuæ accedit gloriæ, quòd in nobilissima domo natus, qui in pueritia studia neglexeras, & pro patria tuenda arma non semel indueras, sponsus, & liberis auctus eo animi ardore, & ingenii acumine incubuisti in literarum studium (judiciū enim ætatem præverterat) ut è limine transires ad limitem, & in tyronicio veteranos superares. Non satis

visum tibi Græcas, Latinas, vulgaresque evolvere historias, scitu digniora seponere, & memoriâ firmiter retinere: scribere eleganter epistolas, & epigrammata, sed maximis negotiis implicitus instituisti tradere posteris Latinã historiam, quam nemo Lusitanus est ausus, præter Osorium, tanquam hoc scribendi genus peregrinari á Lusitania nostra, ab aliis nationibus crederetur. Scribis de antiquo, & optimo Principe tibi nec beneficio cognito, nec injuriâ, quem adhuc Perfecti nomine fama celebrat; quæ vera est laus, nã adulatio, quæ regnantes sequitur, simul cum eis conditur in sepulchro. Eadem tradis, quæ de Joanne veteres scriptores transmisêre ad posteros, quorum veritas magis, quàm eloquentia laudatur. Sed addidisti materiæ formam pulchram quidem, & elegantem, ut pretiosior remaneret. Illis minimè assentiris, quibus, ut Laconicis, brevitas placet, & tanquã oracula fiunt obscuri, res attingunt

magis,

magis, quàm memorant, ut legentibus necesse sit, ad interpretes provocare, quos similes esse, ait Mascardus, anhelitu laborantibus, qui interclusum morbo spiritum crebris quasi singultibus conantur reficere. Nec eos sequeris, qui nimiùm fluere orationem contendunt, & tanquam non intelligantur aliis post alias congestis rationibus inutili cunctatione tempus legentibus consumunt. Tu verò medium eligis, quia ingenii opera, ea maximè ad publicam utilitatem composita non magnitudine, aut pondere, ut pretiosiores margaritæ, parvo in corpore à sapientibus maximi æstimantur; & ita veterum exempla imitari proponis, ut antecellere videaris. Quibus causis adducor, ut librum tuum dignissimũ censeam qui fruatur publicâ luce, ut habeant principes veram illius imaginem, quam proponis, non fictam, & adumbratam, quam in Cyro creditur Xenophontem finxisse, aliosque qui famâ neglectâ, & ambitio-

nis mancipia Dominantibus blandiuntur; tanquam hoc opere dumtaxat pretium sit; cùm id primum scribentis sit munus, ut Tullius docet, ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat. Superadderem quam adeptus es gloriam ad maxima Reipublicæ munia, citò evectus, nisi me moderatio tua cohiberet; nonnulla tamen prælibabo, quæ ad rem faciunt: quibus negotiis, & dignitatibus implicitus opus hoc tuum produxisti ad finem, cujus me ab ipsis initiis participem feceras. Juvenili ætate ab optimo Principe in interiora domûs, & privata consilia accitus, tunc, cùm undique pericula imminebant, omnia judicio, & prudentiâ suâ, tuo, paucorumque qui sequebantur consilio feliciter superavit. Jussus ab eo regere Justitiæ tribunal, eam temporum injuriâ laborantem, ad pristinam reverentiam, & venerationem revocasti. Inde Fisco præpositus, eadē dedisti judicii tui documenta. Postremò ad supremum

premum ſtatûs (uti vocant) conſilium evectus, ita te geſſiſti, ut ſeniores tuam ſæpè ſententiam, tanquam prudentiorē ſequerentur. Quid plura ? In Germanica legatione, quam de te omnes opinionem mente conceperant, re ſuperaſti, & ideo pro meritis, Principis beneficio, à Comitis titulo ad Marchionis aſcendiſti. Tu verò tot intentus negotiis per intervalla, horaſque breviſſimæ quieti conceſſas, ſcribebas librum, ut ære perennius monumentum poſteris relinqueres, nomenque tuum æternitati conſecrares, & fumoſas Maiorum imagines virtutum lumine redderes clariores. At ne videar amori, ſtudioque erga te meo nimium indulgere, coerceo calamum, ſperans fore ut Numen ſupremum te, tuoſque ſimul diutiſſimè ſervet incolumes, quos genuiſti tam ſimiles tibi, ut nec poſſes eligere meliores, ut etiam hoc exemplo alii Nobiles commoti ad ſtudia eximia cujuſque ar-

tis,

tis, & virtutis ardentiùs excitentur, existimantes alienum esse quod ab aliis accepêre, ut qui militiæ adepti sunt Martis lauream, domi etiam Apollinis hederâ coronentur. Aveto.

EJUS-

EJUSDEM IN LAUDEM operis Excellentiſſimi Domini Emmanuelis Tellii Sylvæ, Marchionis Alegreti, &c.

Comitis Ferdinandi Meneſii.

EPIGRAMMA.

QUod dederat nomen Joanni fama vigenti,
Reſtituit memorans Emmanuelis opus.
Magna ſepulchra jacent, pereunt miracula, Regis
Permanet ingenio gloria parta tuo.
Rex dum tela gerit, tellus trepidavit Ibera,
Dum calami telum Tellius, ipſa tremit.
Sylva fuit Princeps virtutum ſemine florens;
Sylva dedit fructus, clarus uterque manet.

EPISTOLA LUDOVICI DO Couto Felix ad Auctorem.

Excellentissime Marchio,

GAudeo tuo, ut cũ Plinio incipiã gaudeo meo, gaudeo etiã publico nomine, quòd librũ huncce mihi, jam absolutum, & verè absolutum misisti. Non tamen veluti Tacitus amico injunxit, ut adnotarem, quæ commutanda, quæ eximenda arbitrarer. Absit ut tam piaculo digna adrogantia usurus tuam, hoc pacto, rependam comitatem. Neque enim ut magistro, magister, neque ut discipulo, discipulus; sed ut discipulo magister, ceu par erat, misisti. Nempe ut discerem, ut admirarer. Verùm ego qui, ne discipulus quidem debeam dici, amici personã, sũmè de te soliciti sumam. Quia neminem magis ex fide quàm te monere soleo. Eò magis quòd & tu audire

Plin. lib. 7. ep. 19.

Idem 8. ep. 7

Ibidem.

dire

dire sustines. Cùm hæc sit potissima laus tua, quò I cupias reprehendi. Quasi te tantum ab illis verè laudari agnoscas; igitur eo jure, quod in te, ab inferiore omnibus rebus judice, vel æstimatore voluisti, & quæ sentiam, & quæ velis, laudabili utriusque libertate, ac patientià pronuntiabo.

Et primùm id patere, quod sæpe numero admonui, ut nunc quoque objurgem. Patientiam scilicet, an duritiem dicam? Qui publicum tali opere tandiu fraudare tulisti. Tantùm abest ut considerem, (quod cōsulis,) an editione dignum judicem. Non est equidem modestum, sed invidum prope silentium; quo subtrahitur famæ; quidquid compendio aliorum deperit. Ne invideas tibi ipsi gloriam, neu cæteris voluptatem, doctrinamque. Et quod haud minus religiosum optimo Regi vitam, dignam æquè, ac debitam. Censuit jam olim id toties à me advocatus, & quem tu plurimi facis Plinius.

Cui pulcrum in primis visum non pati occidere, quibus æternitas debeatur, alienamque famam cum sua extendere.

Lib. 5. ep. 8.

Accedit quoque, & gentis gloriam cum tanto Principe circumferri, & posteris exempla, quo virtutis via grassentur.

Cùm hic sit præcipuus historiæ finis; quidquid contra Dionysius Halicarnassensis, & Lucianus velint; quorum alter in sola utilitate legentis, alter in voluptate finem posuere. Certè rebus magis historia, quàm verbis docet, ideoque melior pars, & Philosophiæ metropolis, ut eam appellat Diodorus Siculus. Hac ratione usitatum hoc docendi genus magnis utriusque eloquentiæ Græcis, Latinisque viris, ad nostra usque tempora servatum, & quodammodo facitum est, Teste Tacito, quem moré in Græcia multò ante Cicero in suo Oratore ab antiquissimis illis Pherecyde, Helanico, & Acusila usurpatum jam scripsit, qui sine ullis, (ut

Lucian. in tr. de hist. Dionys. in ep. ad Pompey.

Lib. 11.

In Agricola lib. 2.

ibi

ibi dixit) ornamentis, monimenta solùm temporum, hominũ, Locorũ, gestarumque rerum reliquerunt: priusquam Herodotus Thucydides, Philistus, Theopompus, Ephorus Xenophon, Callisthenes, Timæus, & alii clari scriptores ad sũmam gloriam illud eloquentiæ genus evehere nt.

Verùm quoniam de iis nunc sermo, haud reticendũ quam deceptus in eo Magnus orator fuerit, hujus doctrinæ antistites Græcos fuisse existimans. Seu vanitas gentis imposuit, & hominum, qui omnem doctrinarũ gloriam apud se natum jactavere. Seu verioris historiæ ignoratione adductus fuit. Antiquiores quippe multo Moyses, vel etiam Enoch historiam conscripsere. Hæc pluribus persequi hujus loci non est, satis erit, quòd

2. de Orator.

Mortalia facta peribunt,

Ut canit Horatius, nisi virtutes, Regumque, Ducumque, & tristia bella literis mandentur.

Ego in historia mea, quàm (ut auctor, quisquis ille fuit, dialogi de oratoribus, aiebat) disposui jam, & intra me ipse formavi; desidiam, an adrogātiam nostrorum questus sum: qui tot suorum res gestas, tot clara monimenta, delitescere semiputribus rudis, ac simplicis linguæ, quasi ruderibus, passi, nec curantes celebrare domestica facta effecere, ut exteri Romanam nobis, vel facundiā, vel virtutē putent defuisse. Sed quis tantū audebit ex dignitate, atque cū laude, nisi qui didicit, ut more Horatii loquar, patriæ quid debeat? Quibus tu, uti decebat, permotus, jam optimè de patria meritus, obsequiis quanquam Principis, ac Civiū districtus, & planè occupatissimus, non recusasti dignam te subire historiam, & quam, utpote perfecti Principis, attrectare, non nisi perfectus scriptor auderet.

Horat. in Arte.

Ibidem.

Meritò tantùm gravissimis olim viris, apud Ægyptios sacerdotibus, Romæ Pontificibus demandatum

est,

eſt, res geſtas ſcribere. Et inter Græcos idem Cicero affirmat, ſummi id munus hominis fuiſſe. Sed quid mirum, cùm id prope divinum putandum ſit? Unde Jovem, quem primũ Deorum, eundem, & primum hiſtoriæ auctorem antiqui credidere, quã ejus templo repertam Evemerus publicavit, ſi verum Lactantius ſcribit, Enniuſque poſtea interpretatus eſt. Quis non agnoſcit quæ magnum Virum formare aſſuevere intẽ cũcta adeſſe, atque abundare. Abſit verò, auribuſque tuis ambitio. Ut videatur, ad te Apollinarem reſcripſiſſe, non Leoni, ut ad hiſtoriam ſcribendam accingereris, quem legationum varietates, (illius utar verbis) facta Ducum, pacta regnantium, tota denique rerum publicarum ſecreta didiciſſe conſtat. Quid anteactam vitam, quid tot bello, paceque, domi, foriſve, res claras à te geſtas cõmemorem? Sufficiat, cum Tullio, te perbeatum dicere, cùm maxima, vel ſcribis, vel facis, & in eorum numero

Ubi ſupra.

De falſ. relig. lib. 1. c. 11.

mero

De Orat. 1. mero ponere, qui, ut ille dicit, cum vitæ cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent.

Nemo digniùs præclara facinora memoriæ mandare, quàm qui ea patrare maximè novit.

Carmen amat quisquis, carmine digna facit.

Ad Stilicon. lib. 1. Scripsit Claudianus adblandiens Stiliconi suo. Quo genere laudandi eo magis nunc utar, quòd historia, teste Quintiliano, & aliis multis, maximè cõfinis poeticæ est. Neque ulla religio veteribus fuit Herodoti libros singulis Musarum attribuere, ac velùt consecrare. Quin & Thucydidis historia, hac fortè ratione ab Dionysio Halicarnassensi optima poesis appellatur. In Ep. ad Pompei. & ad Tub. Quanto magis quisquam in poetica excelluit, ad scribẽdam historiam instructior accessit. In princip. hist. Id de se Agathias fateri haud dubitavit, eoque consilio fuisse ab Eutychiano inductum, & si hujusmodi momentis testimonia non extarent, nunc experimento cognosceretur, te

qui

qui per poesim vela fœlicissimè fecisti adeó perfectam,& omnibus hìc verè numeris absolutam editurum.

Id modo addiderim reprehendēdi, te tuas ipsū laudes materiam dedisse. Quod evenire solet, ubi quis admirationem aliorum in se ipso spernit, qua si virtutum conscientia utilitatibus obesse possit. Oportuit jam olim librū in publicum prodire, per ora sapientum ferri præceptâ posteritate famam tibi præsenti fruendam dare. Modum jam consilii, hoc silentium,hæc cunctatio excessit. Quæ cúm modum excedit,verēdum est, ne inertiæ, & desidiæ, vel etiam timiditatis nomen accipiat,ait Plinius. Præsertim cúm opus absolutionem,perfectionemque in hoc difficili scribendi genere invenerit. Quas ego virtutes carptim tamen,& ut in epistola, attingam. Illudque in primis, (& si non in primis historiæ partibus) ut puré, ut latinè, conscripta omnia sunt! Transferam huc quod de universa eloquentia docuit

Lib. 2. ep. 10

††††† Cicero,

2. De Or. 11. Cicero, deinde ut planè ac dilucidè, tum ut ornatè, post ad rerum digni-*Plin. lib. 1. ep. 16.* tatem aptè, & quasi decorè! Tot adsunt aptæ, crebræque sententiæ, gravis, & decora constructio, sonantia verba, & antiqua, præterea excellis, vel brevitate, vel luce, vel suavitate, vel splẽdore, etiam sublimitate narrandi, (ut laude maximi hominis utar) ut de te quod Cicero de Thu-*De Orat. 2.* cydide, quem æmularis, dici possit, verborum prope numerum, sententiarum numero consecutum; dubiũque legentibus esse utrùm res oratione, an verba sententiis illustrentur.

Lib. 15. hist. excerpt de orat ibid. Quæ veritas! & ea quidẽ in historia quasi oculus, atque animus est, & qua sine examine, ac cæcum illud corpus manet; ita voluisse & Polybium historiæ magistrum, & ipsum Ciceronem videtur. Facilè ea in toto opere elucet. Etiamsi non digni-*Ubi supra.* tas tua id affirmaret, per quam præstanti positus in culmine, ut Apollinaris ait, non necesse habes, vel supprimere

primere verum, vel concinnare mendacium. Si non vita defuncti Principis narraretur, adversùs quem & iræ & studii causas procul habes. Quia veterum auctorum fidem sequeris, à quibus Joannis res, neque florente illo ob metum falsæ, neque postquã occidit, recentibus odiis compositæ sunt; nulli non de veritate rerum constabit. Et prudenter dedisti operam à præceptis Ciceronis nusquã recedens, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. In sũma, Innocentem adeò veritatis sacerdotem agis, ut haud pronas aliorum aures, iis quæ reprehensionem videntur mereri, cùm periculo præpares, utpote qui probè noris quód malignitati falsa species libertatis inest. Quæ veró cũ laude gesta, simplici fide tradis, à Plinio edoctùs, quód honestis factis veritas sufficit.

In Orat. 2.

Tacit. in hist. 1.

Lib. 7. ep. ult.

Ordinem verò rerum, temporumve; quis in hac historia non agnoscit? quem Cicerò necessariũ prorsus in eloquentia putavit, & post eũ

2. De Orat.

Instit. 7. Quintilianus scripsit nihil referre, quàmlibet abundans rerum copià cumulum tantùm habeat atque cõgestum, nisi illas easdem dispositio in ordinem digestas atque inter se commissas devinxerit. Nam ea invenire, & quasi coacervare, auctore *Lib. ep.* Plinio, etiam ineruditi, & planè Barbari solent. Postremó quo judicio, qua gravitate, vel laude, vel odio, digna in medio, & in illustri ponis; legentesque doces, ut velut auctoritate tua, impellas, deterreas ve! Qua *De Orat. 2.* diligentià ex præcepto Ciceronis *in tradendis rebus* Consilia primũ, deinde acta, postea eventus exponis! Præcepit enim ille debere, & de cõsiliis significari quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari non solùm quid actum, aut dictum sit; sed etiam quomodo, & cùm evẽtus dicatur, ut causæ explicentur omnes, vel casûs, vel sapientiæ, vel temeritatis, ut quemadmodum magi- *Tacit. 1 hist. in pr.* ster Civilis prudẽtiæ docet, non modó casus, evẽtusque rerũ, qui plerũ-

que

que fortuiti ſunt, ſed ratio etiã, cauſæque noſcantur. Igitur quidquid interverſæ utilitatis publicæ te reum facere, niſi edere feſtines, poſſit, cumulaté quivis inveniet.

Sed quid ego laudandis iis audaciam magis, quàm officium nunc affero? Cùm Cicero dixerit, debere quenquam, cùm eloquentiam vult laudare, ipſam illam adhibere, quam laudat. Ut enim (ait Plinius,) de pictore, ſcalptore, fictore, niſi artifex judicare, ita niſi ſapiens, non poteſt perſpicere ſapientem. Hæc me deterrere, ut meam proferrem ſententiam, potuere. Prævaluit tamen ea ipſa, quâ una te perpellere ſperavi; patriæ, poſteritatis, literarum utilitas; & ut hanc quoque conjungam, quò ſplendidis natalibus juvenes exemplo tuo provoces, ac præeas, ad talia æmulanda effingendaque, & ut in Plinio, à quo incepi, deſinam, ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulcrum, niſi imagines habeant. Vale perbenè, diùque, ut

In Orat. 21

Lib. 5. ep. 18

artes

artes bonæ valeſcant, è Muſæo noſtro, Ulyſſipone, poſtridiè Idus Februarii anno à Chriſto nato, milleſimo ſexcenteſimo, ſupra octogeſimum nonum.

Tibi addictiſſimus omnibus nominibus

Ludovicus do Couto Felix.

D.

D. BENEDICTI DA FONſeca inter Decē viros, qui in Suprema Curia Ulyſſiponēſi jus dicunt, eximii Senatoris.

ELOGIUM.

Perdocti, ac perfecti libri
Vitam, & actiones
Permagni, ac perfecti Principis
Joannis Secundi,
Exponentis,

Ab Excellentiſſimo Domino Emmanuele Telles da Sylva, &c.

Elucubrati,
Prævia commendatio.

Eligere qui ſapis, ut legas,
Hunc librum elige, ut ſapias;
Hiſtoriæ leges
Non modò ſervatas, ſed latas, dices,
Linguam Latinam
Auguſti temporibus reſtitutam audies:

Summa

Summâ utrunque ratione :
In Principis perfecti vita
Leges servantur benè, bonæ feruntur;
Id illi symbolum,
Pro Lege.
Augusti fœlicitas recordatur,
Regnum auxit, auctum rexit,
Bello firmavit, ac pace,
Id etiam ad symbolum,
Pro Grege:
Plures meritus Scriptores,
Nunc optimum assequutus;
Olim,
Plures unius Principis Scriptores,
Hodie,
Plurium Scriptorum unus Princeps.
Posthac
Nemo talem provinciam capiet:
A nullo alio pingitur Alexander,
Post Apellem.
Hæsitabis,
Quis amplius,
De Scriptore Princeps,
An Scriptor de Principe benemeritus?
Ille
Barbaros gladio vicit, dum vixit,

Hic

Hic
Barbariem proſcripſit, dum ſcripſit;
Famam à Principe comparatam
Vocaliorem fecit,
Volanti
Pennas addidit,
Raucenti
Vocem reſtituit.
Pulcherrimas Principis virtutes,
Ut gemmas,
Puriſſimo hiſtoriæ auro incluſit
Ut annulo.
Materia ſanè elegans!
Dices né,
Materiam ſuperabat opus?
Ni dixeris, Principem,
Si affirmaveris,
Scriptorem commendabis;
Inter utrumque nil intereſt:
Promiſcua eſt Principis, & Auctoris
Commendatio.
Sed, ut quid cunctaris?
Perge, progredere,
Auctoris elogium liber adeſt;
Legas, non tantùm, ut diligas,
Sed & ames

††††††

In

In Auctore opus, in opere Auctorem
Legas, non solùm, ut Auctori,
Sed & sapientiæ gratuleris:
Quæ usque adhuc exulabat in dolio cum Diogene,
Nunc exultat in solio cum Auctore,
Comitem, ac Marchionem comitatur,
Maioribus, ut & moribus clarum,
Lysii Jovis
Per Germaniam Mercurium singularem,
Qui,
Spretis Pavonum alis,
Aquilone velocior,
Alatus Aquilarum pennis,
Non Saturniam,
Junonem ad Lusitaniam conduxit
Neoburgicam Palatinam Austriacam.
Nil Regni rationibus potuit magis
Conducere.
Eximium sortita Virum,
Quid amplius exoptas, nobilitata sapientia?
Illo fruere, ac diu vive.
Eximium nactus Scriptorem,
Quid amplius exoptas, diserte lector?
Scribat ipse, tu lectita.

FER.

FERDINANDUS TELLESIUS
Silvius Comes Villarmaiorius

EMMANUELI TELLESIO Silvio Marchioni Alegretensi

Parenti suo maximè colendo, & carissimo

S. P. D.

QUàm optimè secutus sis, Carissime Pater, documentum Marci Catonis, qui scriptum reliquit non minùs otii, quàm negotii reddendam nobis esse rationem, dicat hæc, quam de rebus gestis Joannis Lusitanorum Regis scribis Historia, quâ otii tui rationem posteris, atque æternitati cumulatissimè reddere constituisti. Ego verò non tam Catonis, quàm tuo commotus exemplo, meum quoque esse existimavi, non otii solùm mei, sed negotii etiam, officiique rationem reddere. Qua propter cùm nullũ mihi magis ante oculos obversetur negotium, nulloque modo officii mei memorem me esse apertiùs demonstrare possim, quàm si nullum pietatis signum relinquam, quin

vel omnino impleam, vel ſaltem implere ſatagam: putavi me operæ pretium factu-rum, ſi, quando omnes uno ore librum hunc tuum politiſſimum meritis laudibus in cælum extollunt, judicii, vel potiùs admirationis meæ teſtimonium paulò uberiùs exponerem, publicaremque. Neque me deterret ſuſceptæ rei magnitudo; quæ quidem tanta eſt, ut unuſquiſque ſingulari ingenio præditus jure ac meritò reformidare poſſit. Notum eſt enim res arduas, ac per difficiles non ſolùm aſſequi, ſed etiam perſequi glorioſum eſſe.

Atque ipſe ſatis ſcio quanquam magni fœcundique ingenii vires in te laudando profunderem univerſas, ne minimam quidem partem tuarum laudum aſſecuturum; cùm tamen ingenii viriumque mearum probè ſim conſcius, non id mihi aſſumam, ut quidquid eleganter graviter, copioſè acutèque dictum à te eſt in hoc præclariſſimo opere perſcribam, ſed tantùm conabor demonſtrare me literarum, & bonarum artiũ, quibus ab ineunte ætate imbuendum me curaſti, non adeò rudem eſſe, ut non videam quantum gloriæ tribui debeat iis, qui hiſto-

riam

riam cum laude scripsere, & quantò plus tibi debeatur, qui non solùm historiam omnibus numeris absolutissimam scripseris, sed sine otio, sine secessu, negotiorum, curarũque procellà oppressus occupatissimus homo scripseris. Et quanquam nec doctrina, nec eruditio mea ejusmodi sint, ut id facere eleganter, aut cum laude possim: non tamen temeritatis, aut arrogantiæ loco ponendum hunc conatum meum putavi; imò potiùs mihi persuasi pietatis nomine aut laudandum esse, aut certè excusandum.

Exultat animus, atque ipse calamus sua sponte gestit tibi gratias agere totius ætatis nostræ, & patriæ nomine, utpote quæ studiorum tuorum beneficio jam cum ante actis seculis, atque omni vetustate contendere non reformidat. Nam viros illos literarum miracula, quos prisca non semel vidit ætas, nobisque fastosa Græcia, Romaque objectant armorum, literarumque studiis præclaros, jam Lusitania nostra (te uno, longè lateque vincit, & cumulatissimè antecellit; atque ab utraque illa Græcorum, Romanorumque gente bellicam literariãque laudem arripit, sibique meritò arrogat.

Nam cujus gentis militarem gloriam cũ noſtrorum hominum virtute comparabimus? Qui detrectato olim Populi Romani Imperio, victis pulſiſque Maurorum, Arabumque gentibus, quæ veluti quadam alluvione totam Hiſpaniam ſubmerſerant, geſtis cum finitimis populis bellis, multis denique domi, foriſque per virtutem factis nihil bellicæ laudis reliquum feciſſe videbantur, niſi quòd ultra progreſſi, quàm humana virtus, aut mens capiebat, ignotas ad id tempus terras, ignotiora maria per ſummam animi contentionem, ſummaque pericula pertinaci ſtudio quæſivere; & proculcato Oceano proſciſſque Luſitanis claſſibus, rudibus intactiſque priùs tumentis pelagi fluctibus ipſius naturæ reluctantis veluti repagula confregiſſe dicendi ſumus. Quin etiam aditis gentibus per tot ſecula diliteſcentibus, & quaſi à reliqua natura intervulſis, & poſt patefactum Orbem, ſibique redditum longè latèque propagato imperio una cum religione, Africà, Aſià, & Americà detectis, ac mox ſubactis, fuſis validiſſimis exercitibus, dejectis claſſibus, captis oppidis, devictis Regibus potentiſ-
ſimis

ſimis, impoſitiſque præſidiis, & legibus feris nationibus, incultis barbaris, & ferino prope ritu agitantibus; & quod noſtra ætas vidit, aſſertâ tot victoriis libertate contra potentiſſimi hoſtis finitimique conatus, quid tandem reliquum erat ad ſummā gloriam, quám te habere, qui hæc omnia factis augeres, & æternitati ſcriptis commendares tuis? Nam poſtquam militiæ ſtrenuam operam navaveris, tribunus militum ordines ductans in propulſandis hoſtibus, profligādis exercitibus, ſolvendis obſidionibus, libertatiſque, & patriæ inimicis opprimendis; domi verò rempublicam bene geſſeris, magiſtratibus, ac legationibus prudenter feliciterque obitis, quid reliquum gloriæ tuæ feceras, quàm hoc unum, quod tam bene facis, quaſi hanc unam Spartam tibi colendam ornandamque ſuſceperis, hiſtoriā dico iſtam tuam politiſſimam, qua flagrantiſſimum tuum in patriam ſtudium fecit, ut quoniam jam de ipſa agendo plus bene mereri non poteras, ſcribendo etiam mereres, ne quid fortè temporis ſubſecivi etiam tuis in patriam beneficiis vacaret. Neque tamen his tuis lucubrationibus id ſolùm conſecu-

tus

tus ès, ut de patria , & ætate nostra benemeritus sis, sed omnem posteritatem, omnes gentes, quæcunque per Orbem , Romanæ linguæ maiestatem agnoscunt , ingenti beneficio obligasti. Nam quid utilius , quid pulcrius , quid gloriosius esse potest, quám historiæ scribendæ operam suam, atque studium collocare ? Etenim si ad utilitatem vitæ omnia consilia, factaque nostra referēda sunt, quid esse poterit utilius, quám eam tractare artem , quâ illustria conficiuntur monumenta plena exemplorum, quæ nos ad virtutem amplectendam, bonos mores excolendos, literas amandas, ac denique ad bene beatèque vivendum, efficacissimè hortantur ? Ibi tanquam in speculo intueri poteris quid imitari, quid fugere debeas in administranda republica; quo pacto domi, militiæque imperandum civibus , exercitus quomodo ducendus, quæ leges ferendæ, & tandem quid in omnibus rebus factu optimum sit , ita ut præterita tenendo, futura prospicias. Jam quid magis necessarium, aut fructuosum humano generi , quàm egregia clarorum virorum facta , quæ vix hominis ætatem duratura erant, literarum beneficio

æterna

æterna facere, eorumque virtutem, atque illustria facinora oblivione, atque silétio senescentia, & pœne inter mortua, in lucem, & quasi vitam revocare. Equidem quoties in mentem venit veteris Romanorum consuetudinis, qui solebant honoratissimâ coronâ eos donare, qui civem in bello servassent, non possum satis mirari eorum merita, laudemque, qui eis ipsis, qui civicas meruere, vitam servant, non illam quidem fluxâ, & brevis ævi, variantisque fortunæ casibus obnoxiam, sed immortalem illustrem atque extra omnem sortis aleam positam. Enimvero non facilè dijudicaverim de quibus meliùs mereantur rerum scriptores; de iis quorum res gestas scriptis mandant, an de illis quibus legendas tradunt; nam illis vitam eam donant, quam ut assequerentur, hujus mortalis vitæ usuram sæpissime mortis periculis objectarunt, tandemque amiserunt; his verò certissimam viam ostendunt, quâ immortalem illam gloriam assequi possint, & ad ipsius amorem animos stimulis accendunt.

Quintum Maximum, ac Publium Scipionem fertur solitos dicere quoties maio-

rum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi, flagrareque cupiditate eorum famam, & gloriam adæquandi. Cùm autem ad virtutis studiũ incutiendum tantum valeant mutæ imagines, & statuæ, quæ vix quædam lineamenta corporis, vultûsque speciem referunt; quãtam vim putamus habere historiam, quæ non corpus, aut vultum exprimit, sed animum ipsum illustrium virorum, atque horũ rectè, & egregiè facta immortali vita donata universæ posteritati legenda exhibet, & imitanda. Vetus populi Romani institutum fuit memoriam civium, qui bene de republica meruerant, rebusque gestis egregiam famam paraverant, statuis conservare, easque non ex fragili, aliqua vilique materia fabricare, sed ut diuturniores forent, ex marmore, æreque, atque id per eximios statuariæ artifices, ut materia ipsas à temporis injuria vindicaret, operis excellentia servandi curam conciliaret. Quid tamen his statuis factum putamus? In cineres, & rudera abierunt, & populus ille statuarum, ut loquitur Plinius, unà cum ipsis, quorũ speciem, ac memoriam referebant, penitus inter-

terce-

tercider unt; & nisi historiæ beneficium nobis extaret,nec fuisse illas , nec esse desiisse scire potueramus.

Ceterùm hæc omnia sunt laudes cuilibet historiæ communes , quas tu,Carissime Pater,non implesti modó,sed etiam auxisti. Etenim cùm in historia duo præcipué commendentur,ex quibus innumeræ dotes , & ornamenta dimanant ; materia scilicet, & scribendi modus , utrunque feliciſſimé es aſſecutus ; nisi forté summa in te pietas , & caritas mea me non fallit, sed profectó non fallit. Nam ut primùm de materia dicam quod sentio ; argumentum elegisti illustre , & omni memoriâ digniſſimum, & quo nullum aut præclariùs,aut fructuosiús in tota Lusitana historia reperies ; siquidem Regis vitam scribis, qui ob præclaré gesta, Optimi Principis nomen apud posteros adeptus est ; neque dubium est multó esse utilius humano generi egregia clarorum Principũ facta, moresque memoriæ prodi , quàm ea quæ turpiter,aut nefarié admiſſa sunt , consignare literis ; illa enim animos ad recté faciendum accendunt, hæc vereor ne etiam ad imitationem stimulent , cùm sæpe fiat,ut

improbitas felix ſit, nec tam præclarè cum rebus humanis agatur, ut ſemper virtus triumphet. At ea ſunt Joannis Regis facta, quæ ſcribis,ut omnia(ſi unum, aut alterum excipias, quod in controverſiam trahitur) maximâ laude digniſſima cenſeas, utpote plena juſtitiæ, prudētiæ, magnanimitatis,& fortitudinis. Adde quód multó plures ſunt quos bona exempla ad rectè faciendum inflāment, quàm quos turpiter admiſſa à peccandi licentia avertant. Scis optimè (Indulgentiſſime Pater) Xenophontem Græcorum ſcriptorem ſuaviſſimum cúm vellet univerſis imaginē juſti imperii proponere, vitam Cyri Perſarum Regis ſcripſiſſe, & ut propoſitum aſſequeretur,multa de ſuo affinxiſſe, præclara quidem, & ſummâ laude digna,ſed aſcititia, & falſa. At quæ tua fuit (prudentiam,dicam an felicitatem?) id argumentum tractandum ſuſcepiſti, in quo ſine jactura veritatis, ſine metu ambitionis, aut livoris, Optimi Principis effigiem omnium oculis videndam, omnibus Principibus imitandam proponis. Sed vidimus jam quám prudenter ſcribendi materiam ſumſeris, modò conſiderādum eſt quám doctè, &
eleganter

eleganter ipſam tractaveris, quod eâ reverentiâ faciam quam debeo, & Parenti Optimo, & viro doctiſſimo; meaque ea de re ſẽtentia non tam judicium erit docti viri, á quo quantum abſim probè ſcio, ſed admiratio juvenis literarũ ſtudioſi, & paternâ laude præ lætitia triumphantis.

In primis autem ſcribis purâ caſtâque oratione, nec eorum ineptias ſectaris, qui omnia volunt calamiſtris inurere, gravem caſtamque matronam, hiſtoriam dixeris, quæ ut modeſtos, & decoros cultus deſiderat, ita etiam veſtium luxum rejicit, & laſciviam. Quid aliud eſt anxiè hiſtoriam aſcititio fuco exornare, quàm honeſtam matrem familias ſaltatriculæ habitu in ſcenam dare? Non tamen dubito fore nonnullos qui putent poſſe hæc à ſe, non dico politiùs, ſed cōptiús tractari; ſed ii erũt ferè ex eorũ numero, qui caſtè Latinèque ſcribere nō didicere, neque ſciunt hanc primam orationis laudem eſſe, neque quidquam tam difficile, quàm ipſam aſſequi, ut cùm plurimi ſint qui hoc tempore Latinâ linguâ ſcribant, ut ipſi ſibi perſuadent, lepidè, & venuſtè, pauciſſimos reperias, qui orationis Latinæ cando-

rem, & castitatem noverint. Quid quòd verba tua sunt perspicua propria, & ornata, & cuique rei, quam scribis, ita accommodata, ut ad ipsas velut aptum, & conveniens vestimentum quadrent. Siquidem tenues materias modico verborum candore exponis; mediocres æquabili, & temperatâ oratione; magnificas splendidis verbis, ac sublimibus pertractas. At, quod multo pluris est, his ipsis verbis sententias tuas enuntias, quibus & historiam ipsam quasi luminibus exornas, & legentibus prudentissima documenta inculcas. Quid illis doctius, quid acutius, quid ad comparandam civilem prudentiam accommodatius? Jam veró in orationibus, quas ipse interseris, sive directas, sive obliquas, disponis rectè, narras dilucidè, suades nervosè; & profectó ita sunt omnes acutæ, & expolitæ, ut nullas videam in historia nova, quas tuis anteponam, perpaucas, quibus ipsas comparem. Cùm in reliqua historiá, tum præcipuè in orationibus, quod solent alii, rerum causas veras simulatasque exponis tam accuratè, ac subtiliter, ut arcanis Principum illorum, hominumque consiliis interfuisse videaris. Quæ quidem

omnia

ōmnia cùm per se satis ampla sint, & magnā tibi laudem afferant, tum multò maiorem tibi tribuent, si cogitaverimus quot quantisque occupationibus publicè distinearis. Hoc unum sanè deerat ad summam tuam laudem, ut postquam domi forisque Rempublicam bene gesseris, posteritatem quoque non exemplis modó tuis, sed etiam alienis juvares. Nam exemplis rerum gestarum Magni Regis Joannis Secundi ad virtutem accendis futuros Principes, tuis magnos magnorum Regum administros stimulas ad fidem singularem, egregiumque erga Principes suos obsequium, ad incomparabilem abstinentiam, ad eximiam integritatem, ad virtutis honestarumque artium studium. Quibus sanè virtutibus meritus es apud benignissimum Regem dominum nostrum, ut tibi summos magistratus daret, maximarumque rerum curam imponeret; quas tu omnes pari prudentiâ, ac felicitate, & inchoasti, & perfecisti. Ceterùm ut jam ceteras omnes, & epistolaris brevitas, & modestia tua, atque etiam mea silentio obvolvant, illam unam tacere non

possum,

possum, quæ est legatio Germanica, in quã enituit tuum in patriam, ac Regem flagrãtissimum studium, ac fides; ut qui difficillimo tempore anni Hispaniam, Galliam, & Germaniam peragrare, Pyreneos saltus, & Alpium brachia superare non sis veritus, quia salus publica poscebat, ut Rex Dominus noster quàm citissimè nuptias conficeret. Quantâ verò prudentiâ opus fuit; quantâ diligentiâ quantâ industriâ, vigilantiá labore, & celeritate, ut Reginam octavum intra mensem ab ipsa Germania in Lusitaniam aveheres maximo Lusitani nominis splendore prædicantibus omnibus, quas adiisti, nationibus Regis nostri potentiam, tuamque munificentiam. Sed quæ publico gentium præconio celebrantur, rudi voce meá non indigent, idque feci justissimo tui amore abreptus, & quia in itinere per vias, & diversoria partem hujus operis te confecisse scio. Neque longiùs progrediar, ne videar nimium pietati meæ indulgere; illud tamen dicam nihil mihi in omni vita prius aut antiquius fore, quàm te, tuaque omnia facta mihi imitanda proponere;

non

non quòd assequi posse contendam, sed ut ostendam omnibus dari à me operam diligentissimé, ut dignus tali patre videar, atque etiam tua . à me vestigia omni pietate reverentiâque adorari.

†††††††† E

EPISTOLA P. D. EMMAnuelis Caietani Sousæ, Clerici Regularis Sac. Theol. lect.

Ad Auctorem.

VAriè me affecerunt, Domine, literæ tuæ, nam quòd librum de rebus gestis Joannis Secundi Lusitanorum Regis à te conscriptum mihi legendum mittis, vehementissimè lætor; quod verò jubes, ut quid de illo sentiam, quidque censeam, simpliciter tibi exponam, id me summè solicitat, angitque. Qui enim fieri potest, ut ego tam ignarus elegantiæ, & prudentiæ, quàm qui maximè (contra Plinii tui sententiam) (1) judicium ferre audeam de te Sapientissimo Viro, pingente in hoc volumine, veluti in tabula politissimam effigiem historicæ elegantiæ, & civilis prudentiæ? Sed cùm te docente (2) sciam *solam obsequii gloriam sub-*

(1) *Vt enim de pictore, sculptore, pictore nisi artifex judicare, ita nisi sapiẽs non potest perspicere [illegible]* Plinius lib. 1 Epist. 10.
(2) *In hac Historia.*

jectis

jectis relictam esse. Etiam in summa rerum omnium ignoratione non dubito hujusmodi judicandi provinciam suscipere; cùm enim de te dicere possim, quod de Sexto Pompeio Valerius Maximus (3) maius pōdus apud me habitura est obediendi, & parendi voluntati tuæ non nova necessitas, quàm ipsa inscitiæ meæ stabilis consciētia. Fateor equidem libentiùs me fuisse obtemperaturum, si dicere jussus essem, quàm facilè, atque celeriter tu hujusmodi historiā confeceris; is enim sum, qui te sæpissimè vidi scribentem, vel in lecto propter ægritudinem collocatum, vel æstivis horis, vel in Aula, vel inter ipsa amicorum officia, ceu nihil, aut aliud ageres; adeò ut non semel felicitatem tuam cum Plinio prædicaverim. (4) Sed quando ultra hæc, quæ optimè à me sciri non diffitebor, (quod & Hirtius de se circa Cæsaris Commentarios testatum reliquit) (5) etiam imperas, ut qualisnam mihi videatur hujusmodi historia, proferam, rem, Velleio teste,

(3) Valerius Maximus lib. 4. cap. 7. num. 12.

(4) *Es tu super omnes beatus, si talia per desidiam, & otium perficis* Plin. lib. 7. Ep. 13.

(5) *Cujus tamen rei major nostra, quàm reliquorum est admiratio, cæteri enim quàm benè, atque emendatè; nos etiam quàm facilè, atque celeriter eos confecerit scimus.* Hirtius lib. 8 de bello Gallico.

(6) etiam præſtantiſſimis difficilem aggrediar.

Eſt igitur hæc Hiſtoria, quantum mente complecti poſſum, digna Conſule, digna Senatu, digna Principe, quod utpotè maximè laudandum ſuæ Orationi Plinius optabat (7) unde meritò gloriari poſſis te fuiſſe aſſecutum, quod à politiſſimo Scriptore fuit cupidiſſimè expetitum; ſed ſingula proſequi juvat.

Eſt digna Conſule, nempe te ipſo Auctore, quem non temerè Conſulem appellaverim; non eò ſolùm, quia judicio recentium Scriptorum dicuntur Conſules ii, qui novo etiam vocabulo Comites audiunt, ut videre eſt apud Julium Cæſarem Bullengerum (8) ſed quod teſte Cicerone, purioris Latinitatis Principe, *Conſul eſt, qui conſulit Patriæ.* (9) quod tu egregiè præſtas, ſeu ampliſſimos honores magnificentiſſimè geras, ſeu ingenii tui monumenta diſertiſſimè exares, ſeu liberos præclariſſimè inſtituas, ſemper Patriæ conſulis, ſemper Conſulem agis, quo hiſtoria iſta ſit longè digniſſima,

(6) *Vivorum ut magna admiratio, ita cenſura difficilis eſt.* Velleius vol. 2
(7) In Panegyrico cap. 1.
(8) Bullenger. de Imperatore lib 1. cap, 20, pag 50. C.
(9) Cicero lib. 2. de Oratore, cap 39.

quam

quàm si tibi Rempublicam administranti conferre libet. Videor tibi gentilitiis leonibus insigni posse dicere id, quod Leoni, qui apud Evarigem Gothorum Regem summo loco erat, (10) scripsit Sidonius. Historia enim, á qua tantum singularis ornamenti accedit Lusitaniæ nostræ, non potest non esse digna præstãtissimo eo viro, qui ipsam Lusitaniam innumerabilibus, quà veteribus, quà recentibus affecit beneficiis, eisque longé clarissimis; quique vicissim unus dignus erat, qui scriberet hanc Historiam; imó quì illam patriæ debebat, si credendum est Attico ad Ciceronem, Virum Consularem loquenti. (11)

Jam veró sapientiâ, ingenioque tuo, quibus patriæ plurimum consulis, quám digna est historia ista, quæ ab illis maximâ, & singulari laude cumulata est. Nam cùm de te citra adulationis suspicionem dici possit,

(10) *Tu molem Thematis Milesi* (historiæ) *rectè capessis, cui præter eloquentiam singularem scientiæ ingentis magna opportunitas, quotidie namque per potentissimi Consilia Regis totius solicitus Orbis pariter ejus negotia, & jura, fœdera, & bella, loca, spatia, merita cognoscis, unde quis justius sese ad ista succinxerit, quàm ille, quem constat gentium motus, legationum varietates, facta Ducum, pacta Regnantium, tota denique publicarum Rerum secreta didicisse.* Sidonius lib. 4 Ep 22

(11) *Non solùm mihi videris eorum studiis, qui litteris delectantur, sed etiam patriæ debere hoc munus, ut ea, quæ salva per te est, per te eundem sit ornata.* Attic. apud Ciceronem lib. 1. de leg.

quod

quod de Consule Pub. Scipione Æmiliano ait Velleius (12) summæ profectò hujus historiæ laudi dandum, quód sit te digna, ut planè est, utpotè quæ exhibet Civilis, ac Militaris prudentiæ speculum, in quo quisque intueatur, quàm pulcrum sit rectè facere, benedicere, & optimè sentire, quæ omnia videntur in hac expressâ Optimi Principis imagine, & justi imperii effigie, quâ exæquasti Xenophontem eâ electionis felicitate, quam de ipso prædicat Dionysius Halicarnassensis (13) cùm tamen ipsũ superaveris eâ historiæ fide, ad quã eum Cicero scripsisse negat (14) qua in ratione scribendi eó collineasti, ut nobis præceptorum utilitate consuleres, quin vel minimã faceres tuæ singularis modestiæ jacturam; & utrumque summa cum laude assequutus es, (si Plinio fides) (15) editâ Optimi Principis vitâ.

(12) *Omnibus belli, ac togæ dotibus, ingeniique, ac studiorum eminentissimus sæculi sui, qui nihil in vita, nisi laudandum, aut fecit, aut dixit, aut sensit.* Velleius vol. 1

(13) *Materiam suæ historiæ elegit pulcram, & magnificam, ac eam, qua virum sapientiæ studiosum decet, ut institutionem Cyri boni, atque felicis Regis effigiem.* Dionys. Halic. in Epist. Pompejo §. 18.

(14) Cicero ad Quintum Fratrem.

(15) *Præcipere qualis esse debeat Princeps, pulcrum quidem, sed onerosũ, ac propè superbum est. Laudare verò* Optimum Principem, *ac per hoc posteris lumen, quod sequantur ostendere, idem utilitatis habet, arrogantiæ nihil.* Plin. lib. 3. Epist. 18.

Ultima

Ultima superest ratio consulendi Patriæ; nempe, liberorum educatio, *quæ* (Velleii verbis utor) *scribenti manum injicit, & quãlibet festinantem in se morari cogit.* (16) nam & istâ maximè digna est hæc historia: præclaræ enim institutioni tuæ acceptum referunt filii tui eos nunc esse (17) viros

Qui leges, qui Castra regant, qui Carmina ludant.

Nam quòd Illustrissimus Dominus Nonius Sylvius Tellesius nunc in Conimbricensi Academia Pontificiarum legum Interpretem agit acutissimum, & in Religionis caussis Judicem integerrimum; quod Excellentissimi Domini Comites Villar-maiorius, & Taraücensis militaribus disciplinis complectendis, perdiscendisque artibus regendi castra ab ipsis crepundiis assueverint, institutioni tuæ debetur; cui etiam dãdum, quod Illustrissimus Dominus Antonius Tellesius Sylvius in pangendis Carminibus mirâ suavitate, & elegantiâ tã Latino, quã vernaculo sermone (in laude scilicet cõmuni gẽti Tellesiæ Scipionũ æmulæ) (18)

(i6) Velleius Paterc. Dol. 2.

(17) Statius lib. 1. Silv. in Epithalamio Stellæ, & Violentillæ.

(18) *Illius generis est* [illegible] *sapientiæ stirpe generatum. Ob generosam stirpem, & tanquam in unam arborem multa genera, sic in istam domum multorum insitam, atque illuminatam sapientiam.* Cicero in Bruto de Scipionibus.

illud

illud sibi adrogat singulare, quód cùm sit ex fratribus occupatissimus, utpoté quem & Pontificii Juris studium, & in Ulyssiponensi templo maximo munus Archidiaconi (ut vocant) assiduó distinet, nihilo tamen minus carmina eâ scribat venustate, atque elegantiâ, quâ disertissimi fratres, qui otio, studioque abundantes poeticæ mysteria, Musarumque delubra colunt, quâ laude nihil hac in re potest esse illustrius. Hac igitur liberorum institutione, quá (Constantini Cæsaris exemplo) ad Patriæ potissimùm utilitatem retulisti (19) Optimũ, & præstantissimum egisti Consulem, quo opus hoc dignum esse voluisti, cùm non historiam unius populi, aut unius Urbis, sed unius Principis vitam suscepisti describendam, utilissimum scilicet lucubrationis genus, ut Politianus Auctor est (20) invitis enim *describitur*, ut cum Vossio loquar (21) *qualis quisque fuerit imperio, & interior, ac familiaris vita*. Quo mirabiliter effecisti, ut histo-

(19) *Pater optimus, sed melior imperator non tàm sibi, quàm Reipublicæ gaudet cùm liberos sibi similes intuetur, quibus ad perficienda, quæ ingenerata sunt bona non segnis virtutum opifex disciplina conjungitur, ut spes æquiparandi Patris certa sit. quippè indole similes, sed sub eodem magistro discendi fortuna felicior*, Nazarius in Paneg. Constant. cap. 4.

(20) Politianus in altero tom. Præfactione in Suetonium.

(21) Vossius in Arte Historica cap.

ria

ria tua non solùm sit digna Consule, sed etiam longè ulterius progressa sit; non enim tantummodò digna est homine, cui soli Patriæ consulere propositum sit, sed etiam eo Viro, qui totius Orbis commodis, utilitatique servire animum induxerit; nisi & hoc ejus esse Consulis arbitrere, cui Orbis est pro Patriâ, neque enim tua virtus unam Lusitaniam debuit illustrare; cúm volueris te alterum credi Censorinum, *Virum* Velleii (22) judicio *demerendis hominibus genitum*.

Cúm tamen hunc librum te dignum esse affirmaverim, imprudenter addiderim dignum esse Senatu, nisi & subjunxero omniũ sapientium expectationem, (mirificam licèt) præclarè vicisse. Quantó enim tu unus doctis omnibus antecellis, tantó magnificentius est te dignum extitisse, quàm universo Eruditorum Senatu; (ut cum Famiano (23) loquar) Ad operis commendationem amplissimam spectabat esse te dignũ; quod veró dignum Senatu effeceris, ad præconium attinet moderationis tuæ, cujus maxima est prædicatio, quód stylum tuum humano sublimiorem volueris demittere,

(22) Velleius volum. 2.
(23) Famianus Strada lib. 2. Prolog. 3. in fin.

ho-

hominumque, licèt sapientiâ præstantium, legibus subjicere, summæque indulgentiæ fuit tolerare, ut credi posset etiam interposita fuisse Eruditorum Senatûs decreta; de iis, quæ probabas in erectiori mentis tuæ Senatu, ut Plauti, Ausoniique voce utar (24) Prodeant nunc Cicero, Lucianus, Pontanus, Patritius, Vossius, Mascardus, aliique lectissimi historicæ Elegantiæ Senatores, & sibi gratulentur, dum hac historiâ vident probari eas leges, quas ipsi olim de Historia scribenda rogaverant. Cognoscāt nunc leges suas esse optimas, cùm viderint eas á scriptis tuis pondus, & auctoritatem accepisse. Historicam illam artem non ex eo potissimum magni facimus, quód ejus præcepta ab illis eruditè, & ambitiosé tradantur, sed multò potiùs, quòd á te ipso sanctè, religioséque observentur. Et ut prætercam ea, quæ teste Cicerone (25) historiæ fundamenta sunt; (nam licèt has leges sanctissimé colueris, nullum tamen ipsæ ab hac tua religione accepere beneficium, aliter enim scribere non posses) venio ad eas

(24) Plaut. in Amphitr. & Epidico. Ausonius in Panegyrico Gratiani.

(25) *Ne quis falsi dicere audeat, nequid verè non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis.* Cicero lib. 2. de Orat.

leges,

leges, in quibus, ab amplissimo Senatu, Historiæ exædificatio præscribitur; ad ea quæ spectant ad materiam, dispositionem, & expolitionem.

In narrationibus non nisi res magnas, memoriàque dignas exponis, quin tamen ad minora prætereunda eâ posses induci ratione, quá Horatianus ille scriptor (26) neque enim invenire est quidpiam tam parvũ, atque obscurum, quod tuæ dictionis splendore, ac maiestate nequeat attolli, atque illustrari. Sed ne rerum non quidem utilissimarum mole lectorem avocares á præstantissimis. In servandó temporum ordine tam multus es, ut Tucididæ, ac Velleii; quos constat hàc in re fuisse accuratissimos, superes diligentiam; adeó ut nunquam illum perturbari finas citra pergratam, eamque maximam lectoris utilitatem. Nec minor tibi cura fuit describere locá, in quibus quæque gesta sunt; quin tamen ex commemoratione eorum, in quæ dominaris, aut quibus opem quondam attulisti, ullam tibi gloriam petendam existimaveris, satius ducens omnia loca tuæ modestiæ admira-

(26) *Quæ desperat tractata nitescere posse relinquit:* Horatius in Arte Poetica.

tione complere, quàm aliquot tibi felicitatem debere, vel leviter innuisse.

Resque non contentus enarrasse, earumque consilia, & causas, etiam in explicanda ratione, quâ unumquodque actum est, diligenter immoraris, adeó ut videatur & te iis interfuisse, quæ scribis, & nos iis non abesse, quæ legimus; miracula ea sunt prudentiæ tuæ, quâ post tot annos divinando consequutus es, quæ vel perspicacissimo cuique illius ætatis latuissent; eademque nobis longâ temporis intercapedine distantibus conspicienda subjicis, quæ olim sapientissimi cujusque aciem effugère.

Exitus denique, eventusque, qui res cõsequuntur, non tantùm explicas (quod cũ Cicerone, & Polybio (27) omnes præcepere) sed etiam hæc nonnunquam paucis occupas, ut fieri oportere docuit Trapezuntius (28) quod & ipsum animi tui moderationi tribuendum, neque enim suspicari fas est ullum unquam futurum esse lectorem tam ignavum, ac somniculosum, cui opus sit excitari ad ea legenda, quæ tu scripseris, nisi fortasse existimasti lectorem ad-

(27) Cicero lib. 2. de Oratore. Polybius lib. 3.
(28) Trapezunt. lib. 5. Rhet.

miratione

miratione tuæ elegantiæ obstupefactum novis stimulis indigere, ut à gratissima mansione, in aliam longè gratiorem progrederetur.

In judiciis (negotio, ut omnium periculosissimo, ita maximè necessario, ut docet Pontanus) (29) ita te geris, ut nunquam falsos, inanesque rumores aucupaveris; aut, (cujus Plutarchus Herodotum reprehendit (30) Tacitum Famianus (31) deteriorem in partem quidpiam interpretatus fueris; ita cum æquitate prudentiam tuam voluisti lectori probatam, cujus consulis eruditioni; & cùm sis in laudandis honestis viris liberalis, non tamen in deteriores inveheris, contentus flagitia insectari, auctoribus parcendum duxisti.

In Concionibus magnam sustulisti controversiam, j. m enim nemo erit, qui dubitet licere, & expedire historico illas rerum narrationi inserere, ut noverit id à te fuisse magnâ cum laude factum. Nec temerè tibi cedet superbissimum Criticorum judicium,

(29) *Illud rerum scriptori servandum maximè, atque in tota rerum serie ut pro locis, rebus, occasionibus judicis ipsè personam induat. & laudet, condemnet, admiretur, deprimat, misereatur.* Ioan. Iovian. Pontan. in Actio.

(30) Plutarchus in Commentar. de Herodoti malignitate.

(31) Famianus lib. 1, Prolus. 2.

quos (32) non movêre exempla omnium historicorum, nè concionum tam directarum, quàm obliquarum usum improbandū putarent; jure etenim tu omnium optimè persuades introducendas esse conciones, qui iis, omnium maximé apté, congruenterque uteris, nam præ omnibus captasti prudentissimé præclaras quasque occasiones, quibus non nisi amplissimos viros loquentes induceres, iisque eum sermonem conformares, qui foret & loquentium, & materiæ dignitati consentaneus.

Digressionibus verò ut non nimis indulges, ita eas non omninò repudiandas putastasti, illud né lectorem sæpiùs ab augustissimo historiæ argumento traduceres; hoc nè eum suavissimâ voluptate fraudares; idque sæpiùs utique facturus, nisi ejus, quam profiteris, brevitatis leges, te arctiùs coercerent.

Circa dispositionem nihil dicendum existimo, cùm in hac parte non omnes tantùm auctores, sed etiam te ipsum superes; & venio tandem ad Eloquutionem, in quâ tu plané triumphas; si enim judice Vossio

(32) Vide Vossium in arte historica cap. 20, & 21. & Mascardum de Arte historica tract. 2, cap. 4.

(33) *extra omnem controversiam poni debet satius plurimum esse historiam scribere linguâ Latinâ, quàm aliâ.* Quibus laudibus extollenda est historia tua, quam nemo negaverit esse incorruptâ Latini sermonis integritate præstantissimam; utpoté, in quam non irrepserint ullo pacto vitia illa, quibus neque eruditissimos viros immunes fuisse constat? non enim uteris obsoletis verbis, non novis, non peregrinis, adeò ut hujus libri Latinitatem non possit nisi admirari acerrimus ille nostri sæculi Aristarchus (Gasparem Scioppium dico) cujus censoriam severitatem nõ evasere sũmi viri, de Latinisque literis optimé meriti (34) tuum enim sermonem commendat Latinus ille Atticismus à Hieronymo Vida nobili superioris sæculi vate, prædictus (35) & ætate nostrâ à cunctis pro miraculo habitus, adeò ut nonnulli inviderint Latinis, quod illorum linguâ scribere maluisti, sicuti Plinius dicit, se invidere Græcis (36) mihi tamen, dum te video adeó

(33) Vossius de Arte historica cap.27.
(34) Scioppius dissert. de Rhet. exercit. gener.
(35) *Ipse suis Cicero Thesauris omnia promet, Auctoresque alii nati felicibus annis. Omnia sufficient* Vida de Arte poetica lib.3.
(36) *Invideo Græcis, quod illorum lingua scribere maluisti, neque enim conjectura eget, quid sermone patrio exprimere possis, cum hoc insitivo, & inducto tam præclara opera perfeceris.* Plin. lib.4 Ep.3

Latine

Latiné scribentem longé alia mens est; existimo enim & te non fuisse sermone Lusitano præclariùs, quam Latino scripturum, cúm nihil hoc opere ne quidem cogitari possit illustrius; & proclivius fuisse, ut ipsi veteres Romani nobis invidissent, si te apud nos tam Latiné scripturum esse præsagissent; quin te ab institutis studiis (ut olim Germanicum suum (37) deflecteret cura terrarum, in qua semper versatus es.

Animum mihi ad perspicuitatem advertenti, historiam istam visus est commendasse apud Ciceronem Brutus (38) sicuti enim Latini sermonis munditiâ non solúm laudatissimum quemque ex recentioribus præcessisti, sed etiam (ne maius quid dicam) veteres exæquasti; ita illustri, seu perspicuâ brevitate omnes, qui post hominum memoriam scripsere, longó antevertis intervallo. Et licèt videri velis ideo sequutus brevitatem, quód tibi ob oculos versaretur Plinianum consilium (39) alia tamen (nisi fallor) tibi mens fuit in brevitate sectandâ, nemo

(37) Quint. Instit. Orat. 10. cap 1.
(38) *Nihil est in historiâ purâ & illustri brevitate dulcius.* Cicer. in Bruto.
(39) *Quoties enim ad fastidium legentium, deliciasque respicio, intelligo nobis commendationem etiam ex ipsâ libri mediocritate petendam.* Plin. lib. 2. Epist.

enim

enim unquam poterit fastidire quidpiam à tuo calamo profectum, cùm scribere nequeas, nisi suavissima, & quó longior fuerit liber tuus, eò magis in amoribus, deliciisque habendus est, ut ex eodem Plinio confirmare licet (40) sed cùm probè cognosceres librum hunc esse, & sapienter regnandi, & eleganter scribendi artem, illũ voluisti eâ præditum esse brevitate, ob quâ præcepta laudantur ab Horatio (41) ita tamen brevis esse laborasti, ut nequaquam obscurus fieres; adeò nostræ consulis utilitati, etiam cum tuæ gloriæ damno; nam etiam si non ignores quód (ut ait, apud Tacitum, Galgacus) (42) *Omne ignotum pro magnifico est*; eam tamen respuis magnitudinis laudem, quæ possit fraudi esse felicitati nostræ; cùmque in scriptis tuis insit sapientia quædam propè divina, satiùs duxisti ea ceu oracula non coli, quàm velut oracula non capi; neque voluisti tantùm de nostris commodis detrahi dictorum obscuritate, quantum tuæ Eruditionis existimationi claritatis accederet, à literarum non vulgarium,

(40) *Ut alia bona res, ita bonus liber melior est quisque quo maior.* Plin. lib. 1. Ep. 20.
(41) Horatius in Arte Poetica.
(42) Tacitus in Agricola cap. 30.

sed

ſed interiorum, ac reconditarum opinionẽ, quam tamen fugere non potes, ſapientiam enim tuam, atque literaturam, vel invitus prodis, ipſaque diſſimulatione famæ famam auges, ut penes Tacitum (43) Julius Agricola.

Ornatum verò Orationis nuſquã reperire eſt concinniorem, heic enim mira eſt verborum elegantia, mira compoſitio; cùm tua narratio ſit leni, & æquabili orationis tractu perpolita, ſemper ſibi ſimilis, ita ut neque extet uſpiam, neque hiatus habeat, mira denique dignitas, & ſplendor, cum oratione heic illuſtrent clariſſima verborum, illuſtrioraque ſententiarum lumina.

In Decoro, cujus munus eſt ſermonem cujuſquam accommodare perſonæ ratione gentis, generis, ætatis, conſilii, fortunæ, ſtudii (ut vult Lucianus) (44) adeò extitiſti diligens, ut etiam quando tibi aliæ hiſtorici laudes deficerent adhuc propter *Decorum*, quod Dionyſii Halycarnaſſenſis judicio eſt *virtutum Princeps* (45) meritò dicendus eſſes Princeps hiſtoricorum; neque enim aliud

(43) Tacitus in Agricola cap. 18.
(44) Lucianus de Hiſtoria.
(45) Dionyſius Halycarn. Epiſt. ad Gn, Pomp.

ſperare

ſperare fas erat de te inter maxima, eaque longiſſimè diverſa Reipublicæ negotia domi, militiæque educato, ut Horatius ſpondebat (46) Hæc eſt libri totius ſtructura. Hæc ſingularum partium mira proportio, quarum ornata concinnitas, ut toti operi eximiam conciliat pulchritudinem, ita unicuique partium non minorem adjicit dignitatem, licèt æqualitas eminere non ſinat (47) ea, quæ ſi inſpicerentur ſingula, ſummam quandam præ ſe ferrent elegantiæ maieſtatem.

Sed quid amplius immorer in exponendis virtutibus hiſtoriæ tuæ, quas ne quidem animo conſequi poſſumus; dum enim hanc hiſtoriam legimus, talem habemus, *qualem adhuc ne ſuſpicari quidem poteramus*, ut de hiſtoria à Tullio ſcribenda augurabatur Angelus Politianus (48) undè exiſtimaiē non tam mihi enitendum fuiſſe, ut oſtenderem hiſtoriam tuam dignam eſſe Senatu, quàm ut probarem Senatum Eruditorum (am-

(46) *Qui didicit Patriæ quid debeat, & quid amicis, Quo ſit amore parēs, quo frater amandus, & hoſpes, Quod ſit conſcripti, quod judicis officium, quæ Partes in bellum miſſi ducis ille profectò Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique.* Horatius in Arte Poetica.

(47) *Quocumque miſeris oculum, id tibi occurrit, quod eminere poſſet, niſi inter paria legeretur.* Sen. Epiſt. 33

(48) Politianus tomo altero in Præfat. in Sueton.

pliſſimus licèt hic ſit) dignum non eſſe tali hiſtoriâ, niſi inter primi ſubſellii Senatores obſervaſſem Clariſſimos viros, filios tuos, Dominoſque meos, qui ſuâ incomparabili eruditione, maximâque illâ concinnitate, & elegantiâ, quâ omnes Latinè ſcribũt, efficiunt, ne doleam alios non eſſe orbes, qui hiſtoriâ tuâ fruantur, illiuſque lectione beentur; niſi enim filios tuos habiturus fuiſſes lectores, alius tuis libris quærendus eſſet Orbis, quorum præſtantiam Orbis iſte non capit.

Poſt vero quàm demonſtravi hiſtoriam tuam dignam eſſe Conſule, dignam Senatu, nullo negotio evincam dignam eſſe Principe (quod unum reſtat ex iis, quæ initio propoſui) ſi enim Auguſtus Cæſar Secundus Romanorum Princeps ea tantùm ſe digna eſſe arbitrabatur, quæ & feriò, & à præſtantiſſimis componebantur, ut Suetonius auctor eſt, (49) quid ni digna erit JOANNE SECUNDO hiſtoria, quæ à præſtantiſſimo Viro, & accuratiſſimè compoſita eſt?

De cura, qua hanc hiſtoriam confeciſti,

(49) Suetonius in Octavio cap 89.

mihi

mihi jam ſatis, ſuperque dixiſſe videor. Te autem præſtantiſſimum virum eſſe, ut nefas eſt dubitari, ita exponi non licet, ſuperante argumenti magnitudine, vel ſummam eloquendi vim, ſingularemque dicendi facultatem. Tu enim unus es, quem noſtra ætas poſſit clariſſimis heroicorum temporum viris opponere; Tu unus, cui ſuos non audeat Conſules Roma conferre; Tu unus, cum quo timeat Imperatores ſuos Græcia comparare.

Prodeant qui heroicis ætatibus, & fuerunt, & habiti ſunt ſapientes, Ulyſſes, & Neſtor. Quantum ſingulis præſtas, quantum utrumque antecedis! Scio Ulyſſem tanquam viri ſapientis, & politici imaginem à multis proponi. (50) Sed quot commentitiis fabularum involucris tectus hic ſit, nemo eruditus ignorat. Te autem ſuſpicimus tot veris virtutibus inſtructum, quot Græcia mendax hiſtoriis commendare non auderet. Quód multorum hominum mores, & urbes Ulyſſis inſtar vidiſti; non ideó factum, ut quidpiam à ſingulis diſceres, ſed ut in tui admirationem omnes ra-

(50) Natalis Comes in Mytholog. lib 9 cap 1.

peres, tui desiderio omnes afficeres. Plus tibi fatetur debere Lusitania, qui nobis Augustissimam Reginam brevissimâ, felicissimáque navigatione adduxisti, quám Ulyssi, qui post longos errores, urbem Lusitani Imperii, & gloriæ domicilium extruxit.

Scimus Nestorem prudentissimum Regis Agamenonis fuisse Consiliarium; sed & constat ad eam prudentiæ laudem non pervenisse, nisi cúm tertiam viveret hominum ætatem; quando tu vel á primà juventute eum egisti Consiliarium, quem ut usus maximarum rerum, ita longissima vita diligenter docuisse videretur. Scimus Nestorem consilii dexteritate tantúm Græcorum rebus profuisse, ut Agamenon profiteri non dubitaret brevi se Ilium fuisse expugnaturum si decem sibi contigissent Nestores. At veró quó Augustissimus Rex noster maiora conficiat, non est cur decem tui similes sint optandi, cúm tu unus efficere possis, & cum laude soleas, quod quamplurimi summo cum labore vix præstituri fuissent. In te siquidem uno videmus non solúm multos Nestores, sed (ut ad Romanos transeam) plurimos Camillos, Æmilios, Mar-

Marcellos, Fabios, & Catones. Ut Virum clarissimum C. Cæsarem omittam, qui perfectam bene loquendi laudem multis litteris, & iis quidem reconditis, & exquisitis summâ diligentiâ, & studio est consequutus, etiam in maximis occupationibus, ut testatur Atticus apud Ciceronem (51).

Græcia denique in te coleret Miltiadem, in quo erat cùm summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret. (52) Tu enim excellis illâ virtute, quæ teste Plinio (53) hominem reddit summis, imisque longè gratissimum. In te suspiceret Iphicratem, cujus adolescentis suprà ætatem virtus admirabilis fuit, nec unquam antè eum Athenienses, inter tot, tantosque duces, aut spei maioris, aut indolis maturioris Imperatorem habuerunt, in quo non imperatoriæ tantúm, verúm oratoriæ artes fuerunt (54) In te admiraretur Lysimachum, unum ex Custodibus, familiaribusque magni Ale-

(51) Cicero in Bruto.
(52) Corn. Nep. in Miltiade. cap. 8. n. 4.
(53) *Cujus* (humanitatis) *præcipua pars est honestissimum quemque complecti, atque itâ à minoribus amari, ut simul à Principibus diligare* Plin lib. 9 Epist. 5.
(54) Iustinus lib. 6. cap. 5. num. 3.

xandri

xandri (ut ait Seneca) (55) qui illustri quidem loco natus (56) sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior, quæ tanta in illo fuit, ut animi magnitudine, Philosophiâ ipsâ, viriumque gloriâ omnes, per quos Oriens devictus est, vicerit. In Te observaret Timotheum, qui à Patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus, fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus, neque minùs Civitatis regendæ. (57) In te celebraret Themistoclem, sine quo nulla res maior gerebatur, qui celeriter, quæ opus erant, reperiebat; neque minùs in rebus gerendis promptus, quàm excogitandis erat (58) In te denique veneraretur Epaminondam, cui recusanti omnia imperia ingesta sunt, honoresque ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Jam literarum studium, jam Philosophiæ doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam insignis militiæ scientia homini inter literas nato (59) nisi quod é contra in te mirabile videtur, unde

(55) Seneca lib 3. de Ira cap. 17.
(56) Iustin. lib. 12. cap. 7. n. 1.
(57) Cornel. Nepos. in Timotheo cap. 1. n. 1.
(58) Cornel. Nep. in Themist. cap. 1. n. 3.
(59) Iust. lib. 6. cap. 8. n. 7.

tam

tam insignis literarum eruditio homini inter armorum strepitum orto. Hos omnes in te uno recognosceret Græcia, quin tamen te auderet singulis comparare, quòd te omnibus longè præstantiorem esse censeret, cùm virtutum excellentiâ, tum maximè tẽporis conditione; nisi in hoc postremo mecum fallitur Mamertinus (60) Cùm igitur hæc historia scripta sit summâ diligentiâ á viro præstantissimo, non potuit non esse digna Principe, cujus rerum gestarum narrationem exponit.

Et sanè si Augustissimus ille Princeps Lusitanorum hanc historiam perlegisset, nullus dubito, non solùm pronunciaturum se dignam esse, sed etiam palam professurum (quæ ejus erat in laudandis optimè factis liberalitas) sibi talem nec optare quidem unquam contigisse; cujus & illud documento esse potest, quòd Princeps ille optimus, dum quæreret rerum suarum dignum præconem, Politiano contentus fuit (61) cùm tamen scripta tua tãtó sint Poli-

(60) *Neque enim minorem laudem magnarum rerum æmuli, quàm ipsi merentur auctores, quin imò quamvis optimæ intentata rei consilium fortunæ committitur; iteratum idem, atque repetitum ad certam judicii, gloriamque pertinet*, Mamertinus in Panegyrico Maximiani cap.8.

(61) *Ut habetur ex hac Historia*, & ex lib 10 Ep st. ipsius Politiani.

✠✠✠ tiam

tiani operibus præstantiora, quantó tu Angelum ipsum Politianum antecellis. Hac de causa Numinis providentiâ factum esse existimo, & Politianum á Joannis rebus gestis narrandis abstinuisse, ne clarissimis factis is auctor cótingeret, quem Antonius Nebrissensis (62) censuit imparem esse longé minoribus explicandis; & te huic operi manum adjecisse, Joannisque facta posteritati mandasse, ut *hic supremus felicitati ejus cumulus accederet, laudator eloquentissimus*, ut dicebat Plinius (& non ita meritó) de Virginio Rufo, qui *laudatus á Consule Cornelio Tacito.* (63) Dicerem equidem te Regi eximium dedisse obsequentis animi documentum, cúm, quód de eo itá eleganter scripsisti, tum, quód aliis, de eo scribendi facultatem præripuisti (neque enim levius censendus est collocasse beneficium, qui cavit, nequis de Principe infrá illius maiestatem loqueretur, quàm qui maxima illius facta dicendo suscepit æquare.) nisi existimarem te ideó hanc historiam conscripsisse, ut regiæ maiestati maximum quoddam debitum retribueres; de-

(62) *Nebrissensis in Divinatione de scribenda historia, quæ præfixa est illius historiæ rerum gestarum Ferdinandi, & Elisabethæ.*
(63) Plinius lib. 2. Ep. 1.

buisti

buisti enim edere in lucem Regis vitam,qui fuisti á tam multis editus Regibus,nempé (ut plures alios prætercam) á Froilla, Asturum, & Gallecorum,Garcia Navarreorum, ab Alfonso X. & Ramiro, II.Legionensiū, á Sancio,& Henrico Castellanorum,ab Alfonso III.Dionysio,Ferdinādo,& Joanne I. Lusitanorum Regibus; sed Regio nomini gratiam cumulatissimé retulisti hoc opere, quo doces regié vivere posteros illorum Principum, á quibus accepisti regié nasci; & abundé ostendisti non potuisse adornari historiam, quæ Principe digna non esset, á viro tot summis Principibus procreato.

Cùm igitur historia tua non solùm digna sit te sapientissimo, maximoque Viro, sed in ea te ipsum superaveris; cùm non solùm sit digna eo Eruditorum Senatu, qui nunc in Sapientiæ curia sedet, sed etiam sapientibus iis viris,qui superioribus sæculis literas illustrarunt, & futuro tempore studiorum gloriâ præclari nominis famam sunt assecuturi; cùm denique non solùm sit digna Principe,eoque Optimo, sed etiam longé illustrior, quàm quæ ab ipso nominis claritatis appetentissimo optabatur, nihil est,

 quod

quod ejus operis commendationi adjici posse videatur. Quæ verò hactenus scripsi, non eo animo scripsi, ut existimarem te laudibus nostris fuisse delectandum, cùm viri maximi, qualis fuit Hector ille apud Ciceronem, ex Nævio (64) non soleatis gaudere laudari, nisi à laudatis viris; imò neque ullius indigeatis præconio, (ut Hieronymus Vidas innuit) (65) sed ut observantiæ, quâ te à primis adolescentiæ meæ annis maximè, assiduèque colo, possim ulla ex parte satisfacere, neque id quidem ullo pacto ausus fuissem, nisi (quod initio sum professus) ad sententiam meam de Historia ista ferendam à te adigerer. Nihil verò jam superest, nisi ut te etiam, atque etiam hortor, ad volumen istud edendum quàm citissimè, verbis Hieronymi Vidæ. (66) Cùmque te à nobis exorari passurum esse non dubitem, jam Orbi gratulor summam, perpetuamque felicitatem, quam tu ipsi daturus es voluminibus tuis divisis, pervulgatis, editisque Populo;

(64) Cicero lib 5. Epist. 12. & lib. 15 Epist 6. & Tuscul. 4.

(65) *Laudibus augeri tua gloria nil potis ultra,*
Et nostra nil vocis eget. Vidas in Poetica lib. 3.

(66) *Rumpe moras opus ingentem dimitte per Orbem,*
Perque manus, perque ora virum permitte vagari;
Continuò lato te dulces undique vates
Gratantes plausu excipient, tua gloria Cælo,
Succedet, nomenque tuum finis ultimus Orbis
Audiet, ac nullo diffusum abolebitur ævo. Vidas in Poet. lib. 3.

&c

& cum probè cognoſcam me parem non eſſe tuis ſcriptis laudandis, vix me contineo, quin omnium linguas invitem verbis Latini Pacati(67) ad hanc Hiſtoriam ſummis præconiis extollendam. Vale, Excellentiſſime Domine, Remque publicam clariſſimis factis, optimiſquè libris ornare perge. Meque inter maximos tui ampliſſimi nominis cultores non ultimum eſſe cognoſcere ne deſinas. E Muſæo noſtro pridie Kalend. Octobris anno Chriſti M.DC.LXXXVIII.

(67) *Huc huc totas pii vates doctarum noctium conferte curas; hoc omnibus linguis, literiſque celebrate Nec ſitis de operum veſtrorum perennitate ſoliciti, illa quam præſtare hiſtoriis ſolebatis, ab hiſtoria veniet æternitas.* Lat. Pacat. in Panegyrico Theodoſij cap. 44.

Servus tibi addictiſſimus, & obſequentiſſimus.

EMMANUEL CAIETANUS SOUSA,
Clericus Regularis.

IN LAUDEM MARCHIONIS Alegretenſis, Patris ſui chariſſimi, à ſanctioribus Regni Conſiliis, vitam Joannis Secundi, Luſitanorum Regis ſcribentis.

EPIGRAMMA.

INclyta dum mandas Joannis facta libello,
Inſervisque manu, conſiliisque Petro;
Miratur calamumque tuum, mentemque capacem,
Judicio, & ſtudio Patria grata tuo;
Quæ fecit ſcribis Joannis dextra potentis,
Quæ faciat Petrus ſæpe monere licet.
Per te, qui periit Joannes, nomine vivet,
Qui vivit Petrus non moriturus erit.

Antonius Telleſius Silvius.

EM-

EMMANUELIS DE Pinna Coutinho, Regiæ Domus Medici, & quondam Regis Alfonsi VI.

FActa pari calamo commendas maxima Regis:
Si maiora cupis scribere, scribe tua.

P. D.

P. D. RAPHAELIS BLUteavu, Clerici Regularis,

Ad Famam Scriptoris laudes oratorum, poetarumque ore celebrantem.

HEXASTICON PARÆNETICUM.

SInt famæ centum linguæ, sint oraque centum;
Scriptoris calamus lumina mille vibrat.
Ergo famæ sile, celebrandis laudibus impar;
Vel, sic auctoris nomen ubique cane.
Livius invidiâ livet, deflоruit urbis
Romuleæ Florus flos, Tacitusque tacet.

AP-

APPROBATIONES.

Eminentissime Domine.

NOn sine gaudio evolvi librum inscriptum: De rebus gestis Joannis Secundi; Auctore Excellentissimo Emmanuele Tellesio Sylvio, Marchione Alegretensi, Regi à sanctioribus consiliis è Primariis Cubiculario, Triũviro fisci Moderatore; Auctorem inter, & argumentum tãtam reperi intercedere similitudinẽ, ut virtutes singulas, apophthegmata, & Magni illius Regis in tractandis rebus consilia in hoc magno Scriptore descripta omnia mihi viderer contemplari. Nam ea, quæ sapientissimus scripsit, Minister Regius exercet felicissimé. Qui enim hoc in volumine Joannis annales sedulò perlegerit, hærebit planè, sitnè Joannes, qui modò alloquitur, an si eà tempestate, quà Joannes floruit, esset Emmanuel, qui operaretur. Omnia ita

fluunt

fluunt dilucidè, ſtylo adeò compendiario, nativo, & perſpicuitatis referto, ut omnes puro hoc in fonte non labra tantùm proluere, ſed ad ſatietatem exhaurire poſſint; ſapientiores ſuſcipiant, rudiores maximo cũ profectu ediſcant; ſinguli denique Præclariſſimum Scriptorem proſequantur acclamationibus: inter quas, illam profectò prædicatione maiorem duxerim, quód, cúm id infelicitatis in Joannis vita deprehenderet; nullum ſcilicet é tanto Principe filium Regni hæredem relictum: illud certé Auctor fortunatiſſimé cõpenſavit, cúm nobis é Germania in Luſitaniam Sereniſſimam Reginam traduxit, ex qua regiam expectaremus progeniem; ut Sereniſſimus Rex noſter Petrus, quanvis & ſecundi nomine, & regali animo ſuppar, primus tamen eſſet felicitate. Auctor demum in totius operis compendio eá ſe geſſit in virtutibus inculcandis ſedulitate, eá pietate in proponendis rebus religioni ſpectantibus, eá felicitate in Latialis linguæ puritate inſtillanda, eâ curâ in commendanda orbi univerſo Magni illius Luſitaniæ Regis in regẽdo præſtantia, cum æquitate connexa, ut affirmare

firmare non reformidem, eximium hoc opus morũ utilitati, fidei firmamento, humaniorũ literarum decori, & totius Regni maximo futurũ ornamento. In Collegio Magni Antonii Societatis Jesu. Non. Novemb. 1688.

Sebastianus de Magalhães.

Res gestas Serenissimi Lusitaniæ Regis Joannis Secundi, Scriptore Excellentissimo D. Emmanuele Tellesio Sylvio, Marchione Alegretensi, legi, & mirificè oblector Optimo Principi optimum rerum suarum Scriptorem contigisse, quo vindice Joannis præclaré gesta nulla unquã obruet vetustas. Non nisi egregiè factorum commendatione, & suffragio invidiosum. Optimi Principis nomen sibi Joannes comparaverat; deerat tamen qui ad posteros transmitteret gloriosum hoc nomen non blandientis vulgi conclamationibus, sed eximiis Joannis meritis respondere; id præstat cumulatissimè Alegretensis Marchio, nam qualis, quantusque fuerit Joannes, neminem uspiam latere poterit, ubivis hoc suspiciendus in libro. Nulli jam antea ignotus Auctor multis nominibus conspicuus: quo illius nomen pervaserat, penetrabit, & liber famæ delatus beneficio, ac famæ ipsius incremento beneficium relaturus.

Regius

Regius nuper legatus Serenissimam Reginam ab exteris regionibus in Lusitaniam Auctor invexerat virtutum normam cæteris postea sequuturis: necdum suscepto fũ-ctus munere, ad exteros Lusitanorum Regem defert optimum ubique Principibus futurum exemplar: illa Principum fœcunda Lusitanum firmabit imperium; hic imitandis fœcundus exemplis formabit imperantes.

Disertè literarum proceres statuerunt illud historiam molienti eligendum esse argumentum, quod eximium aliquod lectori ferat emolumentum. Nihil æquè utile ad commune bonum, ac Principes regnandi artem edoceri, qua nulla certè difficilior. Utilissimum sanè hujusce operis argumentum, quo per exempla Optimi Principis compendio edocentur Reges, & regnandi disciplinam rerum optimè gestarum lectione sensim haurient: Principum magistrum (Princeps & ipse) Auctor agit, optimos efficiet Optimi Principis ad exemplum.

Domini Petri Augustissimi Lusitaniæ Regis é primariis cubicularius quid nisi de Optimo Principe scriberet? Non aliud

opor-

oportebat sibi præfigere argumentum, ut quæ oculus perceperat, referret calamus. Credo non semel egregio aliquo Joannis facto literis consignato, hæsisse, Petriné (& hujus etiam nominis Secundi) an Joannis historiam concinnaret: optimus uterque, & utrumque indiscretá similitudine hæc Epitome repræsentat. Egregios Joannis mores, Regias virtutes Auctor refert; Joãnem virtutibus, ac moribus refert Petrus: uterque Secundus ne priori primas deferas; præcessit ille annis, non excessit dotibus.

Historiam scribere, & telam contexere indiscretus labor: omine identidem impellente illi conscribendæ animum appulit D. Emmanuel Telles, unicé factum ad ejusmodi telam contexendam, vel ab incunabulis cognomentum præsagiebat; auream profectò telam contexuit intersecto nunquam filo deductam: nihil in illa tortuosũ, nodosum nihil deprehendes: pretiosa quidem materia, pretiosius sine fuco artificiũ. Historiam leges non parergis immodicé interpunctam, exquisitis infucatam verbis, aut explorata ad sonum, & numerum dictione poeticis feré legibus obnoxiã, non oratoriis

la-

laciniis, phaleris, ac pigmentis (quæ temporis vitia) juveniliter laſcivientem. Nec tamen incultum aliquid, aut neglectum, minuſve caſtigatum offendes. Auctor ſeriæ, ſeveræque orationis, ac proprietatis ſervantiſſimus, elocutione (quam Hiſtorico clariora ſapientiæ lumina perſcripſere) nec humi ſerpente, nec vehementius inflata, at temperata, leni, tranquille, & æqualiter fluente res ipſas ſurda quadam ſtyli voluptate ſenſim in legentis animum inſinuat; neque enim ita nudæ, ac ſimplici rerum narrationi obſtinaté Auctor inſiſtit, ut nullo characteris illicio lectorem jucundiſſimé remoretur, ſententiis in loco maturé interpoſitis. Hiſtoriam conſcribenti normam hoc in opere præſtitutam, citra antiquitatis injuriam, ultra poſteritatis invidiam, non timidé pronuntio.

Auream clavem cubiculario ſuo fideliſſimo Rex Sereniſſimus tradiderat, ſuam etiam æqué auream illi credidit Regina ſapientia, ſecretiora ejus adyta reſeraturo, reſeravit plané, nec ſolùm adyta recluſit, at divitias, & omnigenam illius ſupellectilem hoc in libro ſpectandam omnium oculis exponit :

ponit :

ponit: aureá clavi aulæ fores aperit, sapiẽtiæ aulam aureo recludit calamo, hujus beneficio literarum amatoribus ad sapientiam patet aditus.

Regium, cui præerat, nunc maximé fiscum auxit, libro Regum opibus longé pretiosiori in lucem edito. Intra aulam, vel in ipso fisci moderatore, thesaurum non tam fuisse inventum, quàm repertum sapiẽtium fœcunda parens sibi plaudit Lusitania. Fisci incremento sedulò invigilans, maximũ addidit cùm librum edidit aureo elaboratũ stylo, solido pluris faciendum auro: gravioribus politici status curis districto, publicis negotiis implicito ne utiquam superesset animus, & spatium rerum gestarum monumentis concinné adeò exigendis, ni mẽs, ingenium, & sapientia disertissimi cujusque metas prætergressa, cæteris maior, pluribus acervatim confluentibus sufficeret, quæ seorsim plures obruerent, & uno eodemque tempore scribi digna faceret, & facta digné scriberet, impari studio, pari tamen gloria.

Æneas cognomento Sylvius usque adeò humanioribus literis indulsit, ut poeticá à

Fre-

Frederico III. Imperat. coronâ fuerit inſignitus: una parum, geminæ Luſitano huic Sylvio debentur coronæ, & laureá donandus Apollinari,& quâ Hiſtorici gloriâ præcellentem oportet coronari. Alteri Æneæ ad Elyſios contendenti immenſa olim Sylva aureum ſuppeditavit ramum: aureum germen, aut librum aureum Sylva protulit Luſitana, & hanc immenſam dixeris, cujus amplitudo nullis uſquam terminis circumſcribitur, á rectioris menſuræ impatiens non anguſtioribus, quàm terrarum orbis ſpatiis definitur. Flores hac in Sylva amœnioris literaturæ cultores ſæpius legerant ſuaviſſimos, fructus modó, & quidem uberes, percipient univerſi,dum Optimi Principis rerum geſtarum lectione ad honeſta,& ſalutaria excitentur, & ex præteritis conſilia capere in poſterùm diſcunt omnes, Principes maximé, quorum inſtitutioni,ac diſciplinæ labor, & ſtudium utiliſſimé impenditur.

Virg. Æneid. 6. Aſpectus Sylvam immenſam.

Hoc demum in opere non ſolùm orthodoxæ Fidei nihil eſt diſſonum nigro theta præfigendum, verùm Optimo Principi Joanni Secundo aſſeritur nunquam interi-

tura

tura posteritatis memoria: Regibus, Principibus, Dynastis absolutissima rectè vivēdi, & bene regendi norma præscribitur: omnes ad morum probitatem, virtutis amorem vehementer accenduntur: latinitatis splendor oppidò supra antiquitatem augetur: Lusitanum nomen ad consequentes ætates gloriosé transfunditur: Excellentissimo Auctori gloria conflatur immortalis. Ulyssipone in Collegio Magni Antonii Societatis Jesu Idibus Novemb. An. 1688.

Franciscus Pinheyro.

Perf. &

PErfecti Principis Historia, perfectum desiderabat Scriptorem, & invenit. Luce donabitur liber, an lux libro, qui multis, imò omnibus, rectè operandi exhibebit exemplar: discet natura efformare Principes, Principes Reges agere, historiographi, quibus hæc cura sit, Principes enarrare. Abeat jam, qui illud avium miraculum, phœnicem, fabulosam alitem opinantur: en phœnix, liber hic est, totus enim aureus, & unicus, Et, né quid desit, Soli sacratus: nullus equidem alius erit, cujus, pulcherrimam licét, faciem nævulus aliquis non deformet, hujus verò, in partibus, totius pulchritudo splendescit admiranda: veritas prudens, & comis, sed quam nulla assentationis corrũpat infectio; verba, vel perpendas, vel numeres, ea sunt, quæ & Principis, & historiæ deceant maiestatem; judiciũ brevitate placens, claritate alliciens, eá tamen modestiá temperatum, ut laudanda exprimat, & exornet; si quæ veró sugillanda occurrant,

hæc censuræ permittat alienæ. Singularitatem ne detrectet lector, dum in hoc libro multos legere, sibi videatur, Varronem pondere, pompá Tacitum, Quintillianum flumine, brevitate Salustium; plura in mare flumina confluunt, illud tamen singulare & unicum est: eloquentiæ rivuli, præstātissima quoque scripta censenda sunt, si cum hoc unico, & singulari eloquentiæ Oceano comparentur. Calamum sistimus, ac deponimus, ne laudum ephoniam stridenti stipulá crucitare videamur. Ulyssipone pridie Kal. Decemb. 1688.

Michael da Sylva Pereyra.

LI-

LICENÇAS.

VIstas as informações, pode-se imprimir o livro, cujo titulo he: *De rebus gestis Joannis Secundi Lusitanorũ Regis*, Author o Marques d'Alegrete; & depois de impresso tornará para se conferir, & dar licença que corra, & sem ella naõ correrá. Lisboa 16. de Novembro de 1688.

Jeronymo Soares, João da Costa Pimenta,
Bento de Beja de Noronha,
Pedro de Attaide de Castro,
Fr. Vicente de Santo Thomas.
Estevaõ de Britto Foyos, Joaõ d'Azevedo.

POde-se imprimir o livro, de que a petiçaõ faz mençaõ, & depois de impresso tornará para se conferir, & se dar licença para correr, & sem ella naõ correrá. Lisboa 19. de Novembro de 1688.

Serraõ.

Po-

POde-ſe imprimir, viſtas as licenças do Santo Officio, & Ordinario, & depois de impreſſo tornará a eſta Meſa para ſe conferir, & taxar, & ſem iſſo naõ correrá. Lisboa 2. de Dezembro de 1688.

Roxas, Lamprea, Marchaõ, Azevedo, Ribeyro.

DE REBUS GESTIS

JOANNIS II.

Lusitanorum Regis.

EST animus res gestas Joannis Portugaliæ Regis hoc nomine Secundi posteris compendio tradere; quando ad ea tempora ventum est, ut in historiis conscribendis nihil æquè quàm brevitas placeat. Difficile quidem opus, si rerũ ma- gni-

Historiæ argumentum.

Ejus magnitudo.

gnitudini parem eloquentiam requiras;at cùm egregiis factis ea conditio ſit, ut per ſe ipſa, & attentionem concilient, & jucunditatem afferant: non eſt quod verear, ne noſtri ingenij tenuitas tanto argumento officere poſſit: & quanquam non defuerint clari Scriptores, qui Joannis vitam pro rerum geſtarum dignitate tradiderint; cũ tamẽ vernaculâ linguâ, quæ non æquè ac Latina patet, ſcripſiſſent: operæpretium me facturum exiſtimavi, ſi tanti Principis memoriam Latini ſermonis beneficio latiùs propagarem. Al-

Cauſæ quæ ad ſcribendũ impulerint.

Alfonſus Portugaliæ Rex nomine Quintus ex Eliſabethâ uxore filium ſuſcepit, qui Ulyſſipone V. Nonas Maij Anni M. CCCC. XXXV. ortus, & in maximâ ædium ſacrarũ luſtrali aquâ ablutus, in memoriã proavi Joannis, eodem nomine appellatus fuit, ut tanti Regis recordatio ad ejus virtutes æmulandas perpetuus ſtimulus foret. Triginta dies natus publicis comitiis, Regni hæres declaratus fuit; & ubi primùm ſextũ ætatis annum tranſegit, ejus educationem hominibus & ſanctitate morum, & lite-

Ioannis Regis natales.

Declaratur Regni hæres.

Quibus credita ejus educatio.

rarum eruditione præditis pater credidit, quorum operâ non solùm humaniores literas calluit, sed tale Regiæ indolis specimen dedit, ut pater quoties de rebus arduis ageretur, ipsũ adhuc puerũ in consilium adhiberet. Cũ verò annũ ageret sextũ decimũ, Eleonorã Ferdinandi patrui filiam, & ipsam sanctimoniâ, cæterisque feminarum Principum virtutibus insignem, uxorem duxit.

Pueri indoles.

Uxorem ducit.

A patre Zilam Mauritaniæ urbem armis capere meditante, enixè petivit, ut sibi liceret huic expeditioni interesse; & quanvis Al-

Rei bellicæ dat operam.

Alfonſus, & Regni optimates ab hoc conſilio vehementer abhorrerent, (nullum quippe alium Alfonſus habebat filium) tanti tamen Rex filij opē, ac ſocietatem faciebat, ut ejus virtutes, quæ paternū amorem conciliabant, in ſpernendis filij periculis ipſum amorem vincerent. Factâ ergo eundi facultate, adeò lætatus dicitur fuiſſe, ut patris dextram, tanquā pro maximo beneficio, gratiſſimè exoſcularetur.

Cæterùm in Zilæ expugnatione adeò Joannes & ſtrenuè militem, & cautè imperatorem egit, ut

utramque gloriam sibi cumulatè pepererit. Zilâ triduo feliciter captâ, cùm Rex templum Mahumetanæ superstitionis intrasset, ut illud vero Deo sacraret, & filium veteri more militiæ, equitem initiaret; Comite Marialbano, qui à Mauris ibi occisus jacebat, fortè conspecto, filio ait: *Faxit Deus, ut tu huic equiti jacenti æquè strenuus sis*: quæ quidem precatio gloriæ defuncto, vivis documento fuit. Adeò olim virtutes valebãt, ut Reges ipsi Maiestatem suam non dedecere existimarent hominem suo imperio subjectum sibi proponere

In Zila expugnatione eques à patre inauguratur

ponere

ponere ad imitandum, dummodo factis egregiũ.

Quanquam verò Joanni in rebus arduis gerendis prudentia ultra ætatem esset, juventuti tamen aliquando indulgens, noctu comite uno per urbem juveniliter vagabatur. Fortè igitur accidit, ut intempestâ nocte homines armatos offenderet, qui illum, (valde namque ignotus ibat) strictis gladiis invaserunt; at ipse sese libenter occultans, tam fortiter pugnavit; ut adversarios nimis cæsos fugaverit, & quia viriliter dimicarunt, quinã essent scire curavit,

&

& agnitos opibus, atque honoribus auxit.

Arūccitanū oppidum Arronches.

Joanni in Aruncitano oppido cum patre degenti nuntius venit, qui attulit uxorem filium Ulyssipone feliciter peperisse, &

Filium suscipit.

quia Rex in Castellam ad secundas nuptias contrahendas ibat, protinus statuit nepotē in Regni hæreditatem vocare, ibique Lusitanos in ejus sacramentum ritè adegit. Sed antequam Rex è Lusitania proficisceretur, filio cōmisit administrationem Regni tūc Castellano bello impliciti, cujus de origine inferiùs memorabimus.

Qui mox regni hæres declaratur.

Ioannes absente patre regnū moderatur.

mus. Ipſe autem licèt per abſentiam patris veteranis deſtitutus eſſet; non ſolùm tamen fines tutari fuit cõtentus, ſed etiam bello ultrò illato repentinis incurſionibus hoſtilem agrum ſæpè vaſtavit. Nec minore curâ domi ſe habuit, imo rempublicam rectè adminiſtrare, cæteras res, vel arduas induſtriè componere pro ſolatiis accipiebat.

Eâ tempeſtate Ougellam Caſtellani ceperunt, cujus rei nuntius adeò Joannem ſolicitavit, ut paucis militibus raptim collectis, ad recuperandum oppidum ex Extremotio ad-

Ougellam captam à Caſtellanis recipit.

B volaret;

volaret; quod mox sine prælio in suam potestatem redegit. Unde constat quãtum bellicis conatibus celeritas prosit. Unus tamen Joannes Silvius Principis maximus cubicularius, & tunc Lusitanorum ductor cum Martino Galindo, & ipso Castellanorũ ductore, congressus fuit, atque ita strenuè pugnarunt, ut ibi ambo occubuerint. Silvii morte acriter indoluit Princeps; nam Silvius nobilis loco, bonus militiæ erat; atque idcirco Joannes ejus munus Ario filio statim contulit; nullũ enim egregium facinus morte auctoris

Ejus in benemerentes munificentia.

auctoris memoriâ Joannis excidebat.

Cùm Rex Alfonsus Joannam Henrici Castellæ Regis, ipsiusque conjugis Joannæ filiá uxorem ducere destinasset; initium, & causas atrocissimi belli suscepit. Nanque Elisabetha Henrici soror, & Ferdinádo Aragoniæ Regis filio nupta, in Castellæ regnum succedere súmopere nitebatur, & ut Joanna paternâ hereditate excluderetur, impudicitiam matris obtentui sumebat, addebatque Henricum ad procreandum ineptum esse, ac proinde ex illo Joanná mi-

Castellani belli causæ.

minimè naſci potuiſſe. At contra Joanna Henricum liberis ſuſcipiendis aptum eſſe, ex cõſuetudine, quam cum illuſtribus feminis habuiſſe conſtabat, indubitatum haberi aſſerebat. Oſtendebat inſuper Henrici teſtamentum, quo ipſã à ſe genitam, & idcircò Caſtellæ Regni hæredem ſemel atque iterum teſtabatur. At verò quanquam nõnulli Caſtellæ proceres in Joãnæ partes veniſſent, plures tamen Eliſabethæ cauſam fovebant.

Accenſo igitur bello, cùm Alfonſus Caſtellæ fines cum exercitu intraſ-

ſet,

ſet, & ibi gravibus diſtentus curis filii conſilio indigeret, eum ad ſe vocavit. Qui rebus domi militiæque prius compoſitis, abſque morâ iter expeditus arripuit; jamque Mirandam Urbem pervenerat; cùm nuntium à patre accepit cum mandatis, ne ultra progrederetur; detexerat nanque inſidias, quas Caſtellani ad capiendum Joannem in Samorēſis pontis tranſitu moliebantur. Quo accepto, redire, licèt invitus, cogitur. At non ferens paternis periculis non adeſſe, quanvis multa piis, bellicíſque

Suppetias ferì patri laboranti.

 ſtu-

ſtudiis obſtarent: attamen animus ad ſublimia quæque erectus, omnia ſuperavit. Conquiſitâ ergo pecuniâ, habitoque delectu, ipſe cum duobus equitũ, octoque peditum millibus ad ſuppetias Patri ferẽdas juſtis itineribus Taurum urbem tetẽdit; & antequam in eam intraſſet duo hoſtium Caſtella Sanctosfelices, & Ledeſmam cepit. Joannis adventus Alfonſo animos fecit, ideoque Brigantino Duce, & Comite Villa-regalio Tauri in Joãnæ tutelam relictis, cõjunctis ſuis cum filii copiis, Ferdinãdi exercitum, qui prope

Caſtella capit.

prope Samorensem pontem tendebat, intrepidè petivit. At hoste frustra ad prælium sæpe provocato, Alfonso regredi visũ fuit; etenim ingenium loci Castellanos magis, quàm Lusitanos juvabat. Verũ Ferdinandus famæ suæ consulens, hostem persequi statuit, & ne dimicandi occasio elaberetur, duas equitum turmas præmisit, quæ posteriorem Lusitanorum aciem ad prælium lacesserent.

Alfonsus Rex Ferdinandum ad pugnam lacessit.

Alfonsus cognito hostium consilio, consistere suis jubet. Acies hoc modo stetit. Totum exercitum ante-

Pugna Taurensis.

tece-

tecedebat Roderici Pererii cohors unà cum iis omnibus, qui sua sponte arma induerant: post ipsos primam aciem Comes Faranus regebat; sinistrũ cornu Joannes tutabatur; Rex mediam aciem ductabat; dextrum cornu Archiepiscopus Toletanus cum suis militibus defendebat, quem milites Brigantini Ducis sequebantur; postremã tandem aciem Comes Monsanctensis ducebat; quatuor verò cohortibus in Durii ripâ locatis, exercitûs latera Episcopus Eborensis cum sagittariis, sclopetariisq; tegebat. Ferdinan-

dinandus quoque optimè instructo exercitu incedebat. Et cùm uterque Rex militem acri oratione ad prælium incitasset, Sole já in occasum vergente, primùm Joannes in sex hostium cohortes adeò fortiter invasit, ut brevì omnes profligaverit: deinde Alfonsus æquè ferociter in hostem irrupit; postremo Archiepiscopus Toletanus, & Comes Monsanctensis acriter se pugnæ miscuerunt, totisque viribus unius horæ spatio ancipiti Marte decertatũ fuit, donec Joannes hostes penitus fuderit, fugaveritque;

Prælii eventus, & Ioannis virtus.

que; & cùm receptui canere jussisset, ut collecto equite, se cum patre conjungere posset, ejus copias, quanvis & ipse æquè militem & imperatorem egerit, victas fugatasque invenit. Dum Ferdinandus Samoram, Alfonsus Castronunium, ille de prælii evẽtu dubius, hic omnibus destitutus, ac de filio solicitus, se recipiunt; Joanne copias suas unũ in agmen colligere nitente, militum furor hostem persequi velle vociferabatur. Quibus ille: *Aliud militis, aliud imperatoris munus esse; & quanvis utrique fortiter pugnare incumberet, ad solum tamen imperatorem*

Intempestivum ardorem militũ Joannes cohibet.

ratorem pertinere pugnandi tempus eligere: ipsos ignaros locorum esse, & tenebrosam noctem omnem conatum prohibere: venturum diem, & quid fieri magis expediat, cōsilio, non impetu decreturum.

Cæterùm mirâ solicitudine noctem Joānes egit, donec primâ luce nullum hostium in conspectu esse cognovit, & cùm tāquam victor triduo in eodem prælii loco manere vellet, Archiepiscopus Toletanus *Trium horarum spatium ostendendæ victoriæ sufficere dicebat, quodcunque aliud cōsilium jactantiæ tribuendum videri, nec in præsentiarum tanti temporis jacturam rebus suis conducere.* Quibus ipse, ac viri auctoritate cōmotus ab animi sententiâ de-

ſtitit, & adulto jam die tubarum ſono, explicatiſque vexillis de more victoris, Taurum intravit, ubi læto ob victoriam Joanne, nonnulli Luſitanorum, præſertim Brigantinus Dux, qui cæteris auctoritate antecedebat magnâ ſui fiduciâ, audacter proclamabat: *Malè ſe victorem jactare, qui Regem ſuũ patremque amiſerit, & quid de eo ſit factum penitus ignoret*: quæ Joannes inſigni in parentem pietate, modeſtiâ apud cæteros ferebat. Interim vivere Regem, & Caſtronunii ſalvum eſſe certus nuntius attulit; cui Joannes non parvam militum manum, ut

In Taurum urbem recipit copias.

ut tutus Taurum veniret, misit. Plura hujus facti cõsilio omisimus; cùm eorum prolixa narratio ad scriptores rerum gestarum Alfonsi,& Ferdinandi potissimùm spectet,& nostri duntaxat instituti sit Joannis facta paucis expedire; lectorem tamen rogamus, ut quisnam meliori jure, Ferdinandus ne, an Joannes victoriam sibi arroget, sine odio, ac studio existimare velit.

Victoria haud dubiè à Lusitanis parta.

Post hæc Joannes jussu patris Lusitaniam repetiit, & magis militaris gloriæ cupidine, quàm spe Castellæ regnum obtinendi,

paternos conatus acriter fovebat, adeòque Ferdinandum irruptionibus fatigabat, ut ipse animi præstantiam Joanni inesse apertè fateretur. Alfonsus verò improsperos rerum exitus ægerrimè ferens, remedium ex morbo quæsivit. Nam cùm nutantes animos præsentiâ suâ, & animi constantiâ firmare deberet, absentiâ & levitate penitus imminuit, ac subdolis Ludovici undecimi Galliæ Regis promissis fretus, ipse in Galliam auxilium oratum ire, dissentiente filio, statuit, minimèque animadvertit Lu-

Alfonsus Rex in Galliam proficiscitur auxilium oraturus adversus Ferdinandum

Ludovicum Vulpem appellari, quòd fidem prout ſibi conduceret, mutaret, & eam eſſe conditionem imperandi, ut non alibi maieſtatis decus conſtet, quàm inter ſuos, ſæpeque Regum colloquium extero dedecori fuiſſe. Attamen nobili comitatu, & modicâ claſſe ab Ulyſſipone in Galliam ſolvit, & brevi, facilique navigatione Maſſiliam tenuit; moxque negotii exitus conſilium improbavit.

Interea Petrus Pantoja oppida Sigalam, & Petrambonam Joanni dedit; Alfonſuſque Monroius Magiſter

gister equitum Alcantarensium in Joannæ partes jam à cæteris destitutas, privatas ob causas, transiit; Joannes verò Alegretum, quod tunc temporis Ferdinandi præsidio tenebatur, brevi expugnatione recuperavit.

Nec multò post desperato auxilio, regno se abdicare statuit.

Dum hæc in Lusitaniâ geruntur, Antonius Faria, quem Joannes patrem salutandi gratiâ in Galliam miserat, rediit in Lusitaniam; cui Alfonsus, postquam serò Ludovici calliditatem cognoverat, ac de ejus auxilio penitus desperaverat, in mandatis dederat, ut filius Rex salutaretur;

tur; *Se nanque Hierosolymam sacra loca veneraturum ire, & quidquid vitæ superesset, in aliquo monachorum cœnobio degere statuisse.* Quibus allatis duæ sententiæ Joannem distinebant. Nam Brigantinus Dux seu insitâ tanto viro libertate, seu quia se minimè Joanni gratum rebatur, ejus imperium detrectans; *Non facere* (dicebat) *ad filij famam tam citam hac in re paternis mandatis obedientiam; Regem magis dolore, ac tædio rerum improsperè cedentium, quàm deliberato, maturoque consilio regnum abdicare decrevisse; daret ergò afflicto pœnitentiæ tempus; nam si ab incœpto desistere Rex vellet, nec patri honestum fore sceptrum resumere, nec facile filio restituere: contra verò si in abdicationis sententiâ permaneret,*

Dubitat Joannes an regium nomen cum regno capessat.

maneret, ſatius fore ſe in Luſitaniam ſuam recipere, ubi filio, cæteriſque debitum obſequium præſtantibus, in monaſticâ etiam vitâ maieſtatis regiæ decus retineret.

Alii tamen ex diverſo diſſerebant; *Tam longum, ac tantis periculis obnoxium iter ſuſcepiſſe Regem, ut de ejus eventu ſeró, aut nunquam nuntius in Luſitaniam pervenire poſſet; eam eſſe Luſitanam gentem, quæ ſine regiæ maieſtatis ſplendore haud facilé diu cohiberi poſſit. Quod ſi Alfonſus quandoque regnum repeteret, filii moderationem, ac reverentiam illuſtriorem fore, ſi initum jam imperium patri libenter reſtitueret.* Quæ quidem ſententia prævaluit, ſeu quia Joanni cordi erat paternis mandatis obtemperare, atque ita publicæ quieti conducere exiſtimabat,

Sed tandem Rex conſalutatur.

mabat, seu quia (ut interpretabantur, qui Principum facta semper in deterius accipiunt) habere; quàm expectare imperium malebat.

Joanne tandem Scalabicastri Rege salutato, prima novæ dignitatis cura fuit bellum propulsare; quod non aliàs flagrantiùs per omnes regni fines exardebat, & cùm ipse Eboræ modico comitatu degeret, Alfonsus Cardenas, qui Provinciæ Extremaduræ præerat, cum tribus equitum, quindecim peditum millibus Eborensem agrú hostiliter prædabūdus venit;

Bellum propulsat.

nit; & quia Joannes apertâ vi hoſtes repellere nequibat, ad induſtriam revolutus, Jacobo Sylvio, & Joanni Souſio imperavit, ut ſuo nomine Alfonſo dicerent, *Se cognito ejus adventu, ad eum poſterâ die venturum : quibus ille : Satius eſſe ipſum ad tantum Principem officii causâ adire.* Ita factum eſt, ut uterque ſub verbis officioſis militares minas invicem jecerint. Tum Joannes Epiſcopo Eborenſi præcepit, ut cum trecentis equitibus campos, per quos Alfonſus incedere deberet, iterum, atque iterum conculcaret: quo ita facto, Epiſcopus prope hoſtium

Et hoſtē copiis multo ſuperiorem arte profligat.

ſtium caſtra ſuos in inſidiis locat. At Alfonſus cũ progredi cæpit, inſtructo ad prælium agmine, animadverſis multorum equorũ veſtigiis, ſuos non potuit continere, quin rati Joannem cum magnis copiis vicinum eſſe, ſe fugæ præcipitanter darent. Quibus panico terrore conſternatis, Jacobus Caſtrius, & Petrus Caſca prope novũ oppidum Arũccitanum, obvii fuere cum parvâ militum manu, eoſque penitus diſſiparunt; lætiore Joanne, quòd provinciam conſilio defendiſſet, quàm ſi hoſtes in acie diviciſſet;

quippe illud sibi tantùm, hoc æquè, & sorti, & suis tribuendum.

Alfõsus Rex mutato consilio redit in Lusitaniam.

Intereà Alfonsus ingenii mobilitate, suorumque precibus à suscepto itinere, destinatoque fine vitæ destitit, & ad Cascasium inexpectatus appulit; ac quanquam nonnulli ex intimis de filii obedientiâ soliciti suasissent: *Ne Lusitaniam rectà peteret, tutius esse ad aliquam Mauritaniæ urbem appellere, unde misso, qui filium de adventu suo edoceret, ejus animum explorare posset, daretque consulendi spatium; nam impetu malum consilium, bonum morâ prævalere.* At ipse monita aspernatus, navi descendit, Oeirasque tenuit,

nuit, unde mox filium de ſuo adventu certiorem fecit. Quidam illorum temporum ſcriptor tradit, antequam Joannes ad ſalutādum patrem proficiſceretur, ſuos conſuluiſſe quonam modo patrem adiret; quá dubitationem Georgium Coſtium S. R. E. Cardinalem increpuiſſe; & quia mox Principis offenſionem ex vultu conjectaverat, Brigantinum Ducem, & Epiſcopum Eborenſem, qui in eadem ſententiá fuerant, admonuiſſe ut ſibi conſulerent, ſe quidem ita eſſe facturú, & ſanè fecit; nam brevi

ſe

se Romam contulit: alii verò auctores nihil de Joânis hæsitatione retulere. Veruntamen quomodocunque se ea res habuit, Joannes patrẽ statim adiit, eique regnum sine ulla morâ tradidit; qui insigni moderatione ipsum vicissim iterum, atque iterum filio obtulit, quod ille etiam pari virtute recusavit; & eo, quòd se privatum reddidit, maior privato visus deinceps fuit.

Qui filius regnum tradidit.

Nobilitas Lusitana Regis sui adventum summo cum gaudio accepit, publicisque spectaculis celebravit. Quippe non minùs filium

filium timebat, quàm patrem amabat. Pares quidem militari virtute, ſed moribus diſſimiles hos Principes fuiſſe conſtat. Alfonſus clementiâ nobilium amorem conciliabat, Joannes ſeveritate iiſdem timorem incutiebat; ille ſupplicibus parcebat, hic flagitioſos damnabat; pater miſeris refugium, filius ſtrenuis patrocinium; alter incurioſus, ac varius, alter pervigil, ac conſtans; itaque Alfonſus optimi viri, Joannes optimi Principis nomen non immeritò nacti ſunt.

Regis Alfonſi, & Ioannis comparatio.

Non diu Ulyſſipone

commoratus Rex Eboram proficiſcitur, ibique de bello ſuſcitando cum optimatibus denuò agitare cœpit. At Joannes, qui bellum regno minimè cōducere pro comperto habebat, patris conſiliis adeò obſtitit, ut eum non modò ab illius belli cogitatione averteret, ſed etiam honeſtiſſimæ pacis ineundæ viam aperuerit; ſiquidem operâ Beatricis, ipſius Joānis ſocrûs, & Eliſabethæ materteræ fœdus tandem æquis utrique regno conditionibus ictum fuit: cujus hæc præcipua fuere capita.

De instaurando bello cogitat Alfonsus.

Cui filius cōtrait, & pacis ineundæ auctor eſt.

Mox quæ pax ſancita.

Joannem

Joannem Ferdinandi, & Elisabethæ filium, regnique hæredem quatuordecim annos egressum Joannam uxorem ducturum, & si Joannes eas nuptias abnuisset, certæ pecuniæ solutione teneretur; quód si ipse ante constitutum tempus obiisset, eas nuptias cum minore fratre conficiendas.

Ejus conditiones.

Alfonsum Lusitaniæ Principis filium, & Elisabetham Ferdinandi Castellæ regis filiam, ubi primùm per ætatem liceret, matrimonio conjungendos; interea Joannam in Beatricis fore potestate, ibique permansurā, donec aut Joanni nuberet, aut ejus connubiū desperans, in aliquo virginum Cœnobio se, virginitatemque suam Deo devoveret; quinque Cœnobiis designatis, è quibus unum eligeret; quod si facere abnueret, è Lusitania post quinquemestre spatiū abiturā; addito, ut siquis ejus partes sibi defendendas susciperet, Alfonsus, & Joannes Castellæ Regibus suppetias ferrent.

Fœderis obsides.

In fœderis pignus oppida Alecretum, Veiros, Landroale Joannes Beatrici socrui tradidit, apud quam Alfonsus filius, & Elisabetha Castellæ Regis filia, tanquam pacis obsides, commoraturi erant; insuper Jacobum Beatricis filium natu maximum Regis Lusitani permissu, ejuratâ prius ejus obedientiâ, in Castellæ Regis potestatem iturum.

Joannis cõstantia.

Rebus ita compositis, cùm de obsidum traditione ageretur, Regis Castellæ legati nectere moras, impedimenta inferre, rem extrahere variis calũniis, donec Joãnes eorum fraude cognitâ, duas illis tesseras misit, in quarum altera PAX, altera BELLUM erat scriptum, jubens, ut utrã-

utrávis eligerent sine ulla mora; qui quidē cùm negotium ultra proferre nō possent, pacem protinus sanxerunt, & Elisabethā, ut erat pactum, Beatrici tradidere; unde apparet quantum in negotiis gerendis constantia calliditati præstet.

Inter hæc Alfonsus ob rem infeliciter gestam regni administrationē perosus, statuit in frequenti ordinum conventu regnum filio tradere, & inter pios homines Divi Francisci instituta observantes, valere jussis humanis rebus, ultimum diem expectare;

 sed

sed mors propera talia meditantem occupavit. Nam dum Proceres, atque Antistites, urbiumque procuratores Turres-veteres cõveniunt, Alfonsus pestilẽti febre correptus Cintræ obiit. Et quanquam Joannes ubi primùm de patris valetudine accepit, ad eũ visendum advolaverit, jam semianimem invenit, ejusque mortem summâ cum pietate deflevit, ac regiâ magnificentiâ justa persolvit.

Alfonsi mors.

Posterâ die Joannes Cintræ de more Lusitanorum Regum Rex denuò consalutatus fuit; & ita forte

quâdam

quâdam accidit, ut bis coronaretur, qui pluribus regnis imperare meruerat, moxque primores regni novum Regem venerabũdi undique confluxerunt; qui quanvis ipſi defunctum, plebs verò Joannem amarent, omnes tamen vultum ad lætitiam componebant: nulli quippe apud novum Principem jactantiùs lætantur, quàm qui maximè mœrent. At ipſi poſtrema patris mandata accuratè exequi, ejuſque domeſticis præmia pro meritis dilargiri antiquius omni curâ fuit. Noverat ſcilicet bonum Principem

cipem

cipem minimè esse posse, qui malus filius sit.

Cæterùm postquam res privatas composuit, animo ad rem publicam intentus comitia Eboræ habenda indixit, & interim strenuum quenque beneficiis devincire, delicta punire, veteris regiminis accusata fugere, laudata amplecti: ingenio, an simulatione incertum; nihil tamen dubitem, quin prudentissimus Princeps initio regni multò acriùs quàm unquam aliàs annixurus esset ad res honestè, rectèque gerendas, quoniam prima Principum facta odium, vel

vel amorem longè duratura conciliant. Diplomata, quibus in ſpẽ futuri principatûs dona, vel officia adoleſcẽs promiſerat, uno omnia decreto irrita eſſe juſſit; quendamque nobilem aulicum ſeverè increpuit, quòd, ut ſibi promiſſa implerentur, enixè contendebat: temerè nanque adoleſcẽtes Principes promittere, ac proinde pœnã potiùs, quàm præmium impetrãtibus deberi judicabat. Homines expertæ integritatis elegit, qui ſingulas provincias circumirẽt, oppreſſoſque exaudirent, ac de injuriis cognoſcerent. Inſuper populi de ſe

Inſtituta reipublicæ regẽdæ ratio.

Iudicia populi explorat.

ſe judicia per fidos exploratores ſcire curabat, & illis, quæ juſtè arguebantur, in poſterum abſtinebat: in iis verò, quæ omnium cõſenſu probata erant, mirificè geſtiebat. Quandoque meditata, antequam perficeret, ſpecie occultantis evulgabat, ut cognito publico judicio, ſecuriùs ageret. Rationarium ſemper apud ſe habebat, in quod hominum merita, ingenia, mores, virtutes, ac vitia referebat, ut candidatorum ambitum, procerumque gratiam vitaret; utpote qui optimè cognoſceret maximè reipublicæ intereſſe,

Rationarium conficit ut præmia rectè deſtribueret.

tereſſe præmia à ſolis civium meritis, atque Principum judicio pendere.
Regni adminiſtros pluri- *Adminiſtros magni facit* mi faciebat, quo illis apud cæteros auctoritatem conciliaret; ideoque ſiquis in eorum quenvis querelas palam deferebat, ſibi diſplicere ſimulabat; comperto tamen crimine, qui primum peccaverat, blandè, ac ſecretò admonebatur; quòd ſi monita ſperneret, tunc demum ſeverè ac publicè puniebat. Itaque cùm quidam jus dicẽtium repetundarum, & quòd litigantibus raros acceſſus præberet, apud il-

lum clam accusaretur. *Ecce, inquit, ad me delatum est apertas te habere manus, fores verò clausas.* Plurima hujusmodi verba, atque alia, quæ in apophthegmatum modum lepidè, ac venustè sæpe fundebat, consultò omisimus; quia cùm eorum lepos, & elegantia à Lusitanico sermone ferè pẽdeat, si in Latinum vertantur, haud dubiè insulsa pleraque videbuntur; neque enim altera lingua, alterius potest assequi venustatem, in his præsertim, quorum gratia sæpe unâ voculâ constat. Frequenter cum administris de republicâ moderandâ agebat,

Lepida ejus dicta.

bat, non dubitans quin Reges, qui in rebus arduis ſapientes viros conſulunt, quanvis rerum exitus voto non reſpondeat, nullius culpæ affines ſint. Verùm ne regni proceres nimis apud ſe valere viderentur, eorum patrocinium palã interjectum aſpernabatur, rurſus aliquibus cauſam aliorũ ſuſcipientibus quãdoque annuebat, reputans nimiam indulgentiam flagitioſam eſſe, nimiamque ſeveritatem periculoſam, ſeu omnia optimatibus, ſeu nihil concederetur. Unus ex Alvitienſis Dinaſtæ familiaribus, quod-

Sui arbitrii Princeps, nec ullius voluntati obnoxius.

Neque tamẽ Aulicorum gratiam omnino ſpernit.

dam officium à Rege petivit, ac ſtatim denegans ſe daturum Rex, poſtea Alvitienſi idem munus petenti, ait: *Cùm hactenus pro famulo tuo nullas preces apud me adhibuiſſes, illi non indulſi, ratus hominem tibi ingratum eſſe; nunc verò, quando ſua de te merita mihi oſtendis, libentiſſimè concedo.* Quin etiam quanvis jactaret neminem apud ſe præ cæteris gratiâ florere; quandoque tamen non neminem ſibi præcipuè gratum videri ſinebat; quidam quippe aulicus, cùm mutuari pecuniam cogeretur, à Rege petivit, ut cùm inſtitorum tabernas tranſiret, cum ipſo pauca verba

ba facere vellet, ut ſuſpe-
ctâ ex colloquio gratiâ, à
negotiatoribus pecuniam
mutuari poſſet, quod cùm
facilè impetraſſet, negotia-
tores grandem pecuniam
ei certatim crediderunt.
Magna Principis virtus,
qui cùm gratioſos habere
infra Maieſtatem regiam
eſſe arbitraretur, in re ta-
men honeſta alicui ami-
cus videri non dubitavit.
Illud verò Joanni perpe-
tuò obſervatum, ut homi-
nes non tam ex natalium
ſplendore, quàm ex virtu-
te probatos ad reipublicæ
munia admoveret, gratiæ-
que ſuæ participes faceret;
neque

Plus virtuti quàm natalibus tribuebat.

neque ulla cujuſquam merita obliviſcebatur, ab illis penitus abhorrens, quibus beneficia tādiu læta ſunt,quandiu exſolvere volunt; at ubi rependere nolunt, benemerentes, tāquam ingrati animi accuſantes, oderunt. In primìs autem illis favebat, qui exiſtimationi ſuæ anxiè conſulebant; itaque ſiquis publicæ ignominiæ vitandæ, aut delendæ cauſâ crimen aliquod patraverat, pœnam lege conſtitutam quodammodo remittebat: quod quidem variè exiſtimabatur; *alii publicæ potiùs quieti, quàm ſingulorum famæ Principem conſulere debere,*

Percupidus eorum, qui exiſtimationi ſuæ anxiè ſtuderent.

debere, ipsique præcipuam curam esse civiũ salutem tutari: alii contra, solùm popularium virtutibus rempublicam florere posse, ac proinde Principis officium esse boni nominis studiosos fovere: nam ubi fama contemnitur, etiam virtutes contemni solent.

Aleatores reprimit, atque ædes ipsorum cremari jubet.

Cùm resciret Ulyssipone in cujusdam civis domo ludos à lege prohibitos frequentari non parvo, & ludentium, & reipublicæ detrimento: nam opes, quæ vitiis consumuntur, ad privata & publica onera sustinenda desunt, in ludentes severè animadvertit, ædesque cremari jussit; quo facto posteris exemplum magis imitandum, quàm imitatum reliquit.

Tenor vitæ quotidianus

Tenorem vitæ Principibus maximè congruétem servavit. Nam licèt negotia suâpte naturâ fastidiret, devicto tamen ingenio, ipsis, tanquam si amaret, perpetuò incubuit, & quibuscunque eum alloqui cupientibus faciles aditus præbebat, eratque in audiendo patiens, in respondendo parcus. Siquidem Principis verba, tanquam ex oraculo, pauca, multùm significantia, rataque esse debent. Singulis diebus bis mensæ accumbere solitus apparatu regio utebatur; epulæ modicæ, sed optimi condimenti erant, tem-

tempuſque menſæ eruditis ſermonibus trahebat, ut nõ minùs animum, quàm corpus paſceret; quem morem interpellari cantibus, feſtis præſertim diebus, ſinebat, ut populi amore frueretur, aleretque. Cùm eodem conſilio per urbem magnificè incederet, inſigni equo vectus, magnoque aulicorum numero comitatus; tantâ cupidine eum viſendi flagrabat populus, ut plateæ, & feneſtræ multitudine utriûſque ſexus, omniſque ætatis undequaque confluentium opplerentur, tantâque humanitate præ-

ditum fuiſſe perhibent, ut cùm prope honeſtorum hominum ædes tranſiret, ibi aliquantulum conſiſteret, & cum ipſis per quàm benignè colloqueretur. Cæterùm omnibus diebus judiciis ordinatim adſidebat, ibique magis ad ſeveritatem, quàm ad miſericordiam pronum fuiſſe, ex omnibus auctoribus conſtat. Certè nimiæ ſeveritatis damnari deberet, niſi quòd neceſſitate temporũ coactus, non ultro ſævierit. Id verò ſummam commendationem meretur, quòd judices, qui contra fiſcũ juſtas ſententias pro-

ferebant, palam laudatos, præmiis, & honoribus extollebat; ſciebat nanque optimi Principis indicium eſſe, ſinere fiſcum vinci.

At cùm naturâ, & diſciplinâ ad arma raperetur, viros bellicâ virtute, atque animi præſtantiâ inſignes præcipuo quodam ſtudio amplectebatur, & donis, verbiſque ampliſſimis afficiebat. Ob id ea tempora fortiſſimis hominibus abundarunt, qui mox etiam aperto Oriente, incredibilia edidere facinora. Cùm à nobili aulico (Petrus Melius ei nomẽ erat) frigidam petiviſſet, fortè

Viros fortes præcipuè amplectitur.

accidit, ut urceus è manu exideret afferentis; quod cum irrisissent qui aderát aulici: *Immeritò* (inquit Rex) *hominem irridetis: nam à Petri Melii manu, quanvis urceus ceciderit, nunquam tamen excidit telum.* Petrus Asábujensis vir animo fortis, & rebus gestis clarus, filiam nobili viro nuptui dabat, easque nuptias in Aula honoris causâ celebrari Rex voluerat. Itaque cùm Asambujensis, quòd ex vulnere claudus esset, invitatorum concursu urgeretur, Rex illum manu apprehendit, ac regio in suggestu collocat, aïtque: *Hic advenientium incursus vitabis, nec cures*

quidquam,

quidquam, si cæteri invidentes tui corporis vitium irrideant. Traditur quoque Joanni Sousio viro non minùs virtute, quàm genere illustri, cùm fortè ædes ei non suppeterent, nec qui locarent inveniret, dixisse Regem: *Noli de habitatione laborare; neque enim tibi domus deesse poterit, qui Aulam habes ad habitandum.* Nec prætermittenda videtur laudabilis vox, quâ militem quendã strenuum castigavit, quòd per alium commoda petivisset: *Quando, inquit, sunt tibi manus ad fortiter pugnandum, cur desunt verba ad præmia audacter poscenda?* Hujusmodi honorificis verbis tãquam ditissimo thesau-

Regum honorifica verba thesaurus ditissimus.

ro

ro utebatur, qui quidem in tantum cæteris præstat, ut nunquam, si bene dispensatur, exhauriri possit. Familiares ad numerum unicuique ministerio necessarium redegit, & singulis pro conditione idoneam mercedem constituit. Insuper ingentia dona iis, qui cæteros meritis anteibant, non rarò impertiebatur, rectè existimans iniquissimum esse, æquis præmiis inæqualia merita afficere. Inter hos tamen eos præcipuè complectebatur, quos sibi veraces, ac simplices esse cognoverat; assentatores verò

verò acerrimè inſectabatur: ſolitus dicere, Principibus miſerrimam conditionem eſſe, quòd, cùm maximè veritate indigeât, qui apertè, ac ſimpliciter ejus copiam faciant, difficillimè inveniantur. Hac de cauſa ſciſcitantibus cuinam Aulæ præfecturam conferre ſtatuiſſet, Joanni Meneſio reſpondit, hominemque amare profeſſus eſt, quòd in ejus rebus omnibus, veritati ſemper, nũquam voluntati conſuleret. Perpetuæ famæ cupidus Angelum Politianum, hominem eâ ætate eruditiſſimum, per literas Latinas

Adulatores peſtiferum Regis malum.

Perpetua famæ cupidus Politianũ ad res Luſitanas latinè ſcribẽdas invitat.

nas

nas invitavit ad res Lusitanas posteris tradendas; & ipsa epistola apud Angeli opera extat; ex qua apparet Joannem non solùm historiam amare, quia historiis digna gerebat, sed literarum non indoctum literas magni facere; soli enim amusi Musarum cōmerciū contemnunt. Præceptores optimos eligebat, sub quibus nobiles pueri liberales disciplinas ediscerent. Nam cùm respublica nobilium operâ vel vigeat, vel cadat, pro ut boni, vel mali sint; magni momenti esse ducebat optimè educare illos, à quorum

Nobiles à prima pueritia optimis moribus & disciplinis imbuendos curat.

rum virtutibus aut vitiis, bona, vel mala publica maximè pendent. Nec ipsos ferrum accingere permittebat, nisi postquam duodeviginti annis completis, Africano bello equites initiati forent. His, aliisque virtutibus domum, quæ reipublicæ efficacissimum exemplar est, ita formavit, ut moribus, disciplinâque aulicorum mirificè floreret.

Frequentia quoque signa pietatis dedit. Hebræũ Christianã religionem ineuntem sacro fonti admovit; & cùm fortè deesset lintea fasciola ad abstergẽ-

dum oleum, quo neophyti ungi solent, manicâ subuculæ scidit, ex eaque fasciolam sacerdoti obtulit, dicens tam sacræ rei ministrare etiam regibus honori esse. Iterum cùm sacro adesset, & in genua procũberet, in ipso corporis motu crepida è pede cecidit, quàm maximus sacrificulus è solo levavit, pediquo aptare voluit; at Rex eum severè increpuit, quòd cùm sacerdos esset, humanum ac servile ministeriũ usurpasset, & manus, quæ sanctissimũ Domini corpus tangerent, tam abjectis hominum utẽsilibus, polluisset. Cœptis

Comitia, & turbarum, quæ mox orta sunt causæ.

Cœptis comitiis, visum fuit primùm, quæ per incuriam patris in abusum verterant, ad pristinũ statum revocare; deinde Optimatum impotentiá minuere, atque intra æquitatis terminos cohibere. Sed cùm hinc turbæ, de quibus scripturi sumus, ortæ fuerint, non esse abs re existimavi, antequam incepta exordiar; de Lusitani imperii statu aliquam mentionem facere, ut cognitis rerum causis, faciliùs res ipsæ noscantur.

Status regni sub Alfonso

Alfonsi mors sicut nobiles magno dolore affecit, ita populum variis moti-

bus conturbavit, per optimates præſertim, qui Alfonſi nimiâ indulgentiâ abuſi, non minus filii virtutes verebantur, quàm patris vitia amaverant; ſub quo regiis donationibus aucti, & meritis ex bello elati, ultra civium conditionem ſeſe gerebant; imò ex Regis incuria, & amplitudine facultatum impunè peccandi licentiam retulerant. Horum impotētiam Joannes ingenio, aſperitateque imperioſus ægerrimè ferebat, intutumque, atque indecorum ſibi arbitrabatur, ſi homines ejus imperio ſubjecti, tanquam

quam liberi agerent. Magna pars populi longo tẽpore belli, non solùm opibus exhausta, sed etiam moribus corrupta erat. Miles ubi cognovit ejus merita multò pluris in bello, quàm pace æstimari, Regisque ingenium à militari licentia abhorrere, ad moliendas res novas, si occasio daretur, paratus videbatur. Cùm is esset animorum habitus, regnum pace compositum erat. Castellani, licèt nihil contra fœdus machinarentur, non parum tamen novi Principis spiritus eos solicitabat. Domi respublica

proprio jure civili regebatur; in iis verò rebus, de quibus istud jus non caverat, Romanorum leges, ac prudentum responsa valebant. Urbes, colonias, arcesque, quas in Mauritania, & Æthiopia occidentali (Guineam appellant) vel armis acquisieramus, vel collocaramus industriâ, justa præsidia tutabantur; atque ipsa partim Lusitanum nomen militari gloriâ illustrabât, partim fiscum annuis reditibus augebant, civesque opulento commercio ditabant. Regnum erat omne divisum in partes sex,
quibus

quibus totidem prætores jus dicebant; paucioribus præfectis parere jussi. Verùm hosce magistratus omnes longè præstabant tria concilia, quæ Ulyssipone urbe regiâ commorabantur, ad quorum duo attinebat jus dicere, delictaque punire; tertium fiscum curabat. Rem militarem, & quodcúque aliud magni momenti negotium Princeps, adhibitis in consiliú aliquibus ex optimatium ordine, & industriis, expertisque hominibus, suo arbitrio decernebat. Hic rerum status erat, quâ tempestate Joannes

Quæ per Patris socordiã in abusum verterant, emendare intendit.

I regni

regni gubernacula suscipiens comitia habebat; quibus & universa, & singula, quæ emendanda essent, examinare curavit, ut cognitis utriusque mali causis, quæ remedia admovenda essent, penitus cognosceret. At cùm erectum suspicacis Principis animum nihil altiùs penetraret, quàm nimia procerum potentia, ad eam maximè minuendam totus incubuit. Igitur sacramenti formã novare instituit, quâ sese hactenus adigebant pro arcibus in officio continendis, qui earum habebant præfecturas. Nã

Sacramenti formam innovat.

cùm

cùm antea eo modo tantùm fidem suam obligarent, ut si quādo abessent, nihil ad se legatorum officium attineret, eos coegit, ut auctâ sacramēti formâ, se quoque pro legatis suis obstringerent, eorumque fidem ipsi in se reciperent. Imperavit insuper, ut qui ex Principum superiorū gratia oppida, vectigalia, prædiave possidebant, earum donationum diplomata statim exhiberent. Quod etsi eo obtentu fecisset, quasi eadem dona confirmare vellet: res tamen magis ut reapse erat, quàm ut ipse videri vole-

Superiorum Regum donationes in examen vocat.

bat, interpretata fuit. Deinde jus vitæ, necisque, quod optimates in suæ ditionis incolas habebant, penitus abrogavit. Jussit postremò, ut regiis prætoribus optimatium oppida, ipsis hactenus inaccessa, deinceps subjecta forent. Cæterùm cùm ad hujusmodi præturas tantummodo nobilibus per ea tempora aditus pateret, non observato utrùm operam juri dedissent, necne: instituit in posterùm non nisi jurecōsultis (qui ferè equestris sunt ordinis) eas tribuere. Quæ quidem omnia licèt ad regiam potestatem firman-

Et optimatū jurisdictionē imminuit.

mandam,& rempublicam ordinandam pararentur; adeò tamen commoverũt animos procerum,ut apertè conclamarent *consilium Regis esse, specie reipublicæ ordinandæ, optimates opprimere, ut debilitatis eorum viribus, faciliùs violenti ingenii conatus perficeret: ideo præstitâ cæteris Regibus obedientiâ non contentum, novum infringendæ nobilitatis modum affectare: omnia privilegia, donaque, quibus fruebantur, sibi pro egregiis in rempublicam meritiis fuisse concessa, eaque non sine magna injuria eripi, aut imminui posse.* Nec prudentes ejusmodi facta omnino probabant: *intempestivè initio principatûs tantam molem parari; multò fore consultiùs, postquam vetustate imperii potestas coaluisset, tam magna moliri; volubile*

Procerum de rege querelæ.

Et prudentum judicia.

 esse

esse plebis ingenium, ejusque amorem parum constare: contra nobilium nec odium, nec studium facilè evanescere; idcircò malè sibi Joannem consulere, dum populari allectus aurâ, procerum animos à se alienaret. Dú hæc variis rumoribus agitantur, optimates statuerunt universi privilegia sua defendere legitimâ disceptatione, ad idque Brigantinum Ducem, tanquam ordinis caput, eligere. Brigantinus namque sanguinis splendore, & amplitudine facultatum, atque adeò auctoritate ipsâ longè cæteros antecellebat; quapropter invisus, suspectusque erat Regi existimáti tantum virum sibi

Optimates statuunt privilegia defensum ire.

ſibi periculoſum, reipublicæ gravem eſſe. Sed de ejus origine, ac potẽtia aliquid repetendum videtur, ut nihil prætermittam, quod ad rerum cognitionem pertineat.

Brigantinorum Principum origo, & amplitudo.

Joannes Luſitaniæ Rex nomine primus nothum filium habuit, qui Alfonſus vocatus fuit. Hic Beatricem Nonii Alvareſii Pirerii Aurenẽſis Comitis filiam, unicamque hæredem uxorem duxit, ex qua binos liberos ſuſcepit, Alfonſum Valentiæ Marchionem, qui abſque liberis obiit, & Ferdinandum, qui in patris domum ſucceſſit,

cessit, & quatuor filios, tresque filias genuit: Ferdinandum secundum nomine, de quo loquimur; Joannem Marchionem Montemaiorẽsem, Comitemque Stabilem; Alfonsum Comitem Farensem; Alvarum Comitem Oliventium, jus dicentiumque Præfectum; Beatricem, quæ nupsit Petro Noronio Comiti Villaregalio. Guiomaram Loulensis Comitis Hẽrici Menesii uxorem; Catharinã, quæ cum desponsata esset Ferdinando Coutinio Comiti Marialbano, excessit.

Brigantini Ducis Ferdinandi II. necessitudines.

Hæ Brigantini Ducis erãt ne-

Et opes.

necessitudines, quas insuper magnæ facultates augebant: erat enim Dux Brigantiũ, & Guimaranēsium, Marchio Villavisosæ, Barcellorum, & Aurenensium Comes; unde, cùm ingentibus divitiis afflueret, & summis frueretur prærogativis, domûsque splendore regiam pene æquaret, neque id sine egregiis meritis bello, paceque partis; incredibile, dictu est, quantum auctoritatis apud reliquam nobilitatem sibi conciliaverat. Ad hæc Elisabetham, Eleonoræ Reginæ sororem duxerat uxorem, id-

que matrimonium jam nimis potenti, novum robur, ac decus attulit.

Neque tamen Regis à Brigantino alienatio, cujus causas supra præstrinximus, procerum erga illũ, amorem minuebat; imò potiùs accendebat, vulgòque ad illum sese applicabant. Sed quæ firmandæ, aut conservandæ potentiæ præsidium videbantur fore, ea procul dubio perniciei præbuere causas: tantò acriùs annitente Rege Brigantinum deprimere, quantò ille firmior, & excelsior videbatur. Verùm mihi narraturo maximũ, quod

Magnis de rebus haud temere ferendum judicium.

quod unquam Lusitania vidit supplicium; est animus, nec magnum Regem crudelitatis, neque Principem virum læsæ fidei accusare; sed factum, prout auctores tradidere, expromendo, integrum judicium lecturo relinquere. Novatâ igitur sacramenti formâ, primùm Brigantinus, deinde ejus fratres Regis voluntati paruerunt, eâ tamen conditione, ut erepta privilegia postea in judicio defendere sibi liceret. At cùm Regi animorum, & spirituũ pleno videretur obedientiam qualicunque condi-

tione præſtitam, regiam
Maieſtatem offendere; ſuſ-
picio, quam Brigantinæ
domus amplitudo ejus a-
nimo incuſſerat, adhibitis
quibuſcunque fomentis,
indies magis, magiſque in-
valuit. Cùm verò quantū
in Rege ſuſpicio augere-
tur, tantum in Brigantino
timor creſceret, & cautio;
inde factum eſt, ut utra-
que ſanè pars, quodam
quaſi fato, in hujus domûs
perniciem conſpiraverit.
Edixerat Rex, ut proce-
res diplomata exhiberent
regias donationes teſtificā-
tia; & quanquam ſuperio-
res Principes ſolerēt, cùm

Regis in Brigantinũ ſuſpicio augetur

regnum

regnum capesserent munera decedentis uno edicto confirmare : Joannes tamen hunc morem minimè servavit , imò omnia diplomata diu apud se retinuit , eo nempè consilio, ut quædam abrogaret, confirmaret alia tanquam ex nova gratia;addiditque, ut prætores sine ullâ morâ sicut imperatum jam erat, juris dicendi causâ nobiliū oppida adirent. At quanvis omnes proceres novas leges tanquam injurias palam conquererentur, nullæ porrò quàm Brigantinorum querelæ Regis animum æquè pungebant ;

Festinat Rex destinata perficere.

ideoque summopere nitebatur, quò ipse libenter præceptis pareret. Quæ cũ apertè Brigantinus detrectare decreverit, petitâ, habitaque colloquendi facultate, in hunc fere modum locutus fertur.

Non me præterit, Domine, Regibus summum rerum judicium à Deo fuisse tributũ, nostrumque non esse eos vocare ad rationem reddendam; sed cùm optimè sciam jus, & æquitatem tibi esse cordi; non dubito fore, ut mihi loco criminis positurus non sis, si ex te suppliciter quæram, cur nobis erepta sint avita privilegia, non nisi ob egregia merita, concessa? Nam si Maiestatem tuam læsimus, (quod vides quàm absurdum sit cogitare) ex legibus pœnas luere debemus, sin autem nostra in te fides firma, semper fuit, manetque

manetque firmissima, quî fieri potest, ut sine injuriâ nostris privilegiis spoliemur? Falleris, Magne Rex, si nostrâ tenuitate magnitudinem tuam constare putas; nam maximus esse non potes, nisi magni fuerint, quibus maior es. Cùm ergo nullo jure tanta severitas excusari possit, liceat, Rex clementissime, hanc injuriam â te deprecari; nec minùs faciet ad tuam gloriam, decretum iniquum rescindere, quàm cæteras virtutes tuas planè regias exercere.

Sed quanquam vera essent, quæ Brigantinus dicebat, tamen cùm Regium ingenium veritatem nimis liberè prolatam ferre non possit, eamque in maiestatis irreverentiam accipiat, ægerrimè tulit Joannes ea, quæ Brigantinus magis

Neque tamē quidquam impetrat.

magis causâ jus suum defendendi, quàm animo Regem arguendi protulerat.

Rex severè Brigantino respondet.

Igitur iræ, quàm facundiæ propior respondit: *Nemini licere Regis sui facta judicare, vel eorum causas exquirere; solam obsequii gloriam subjectis relictam esse: proinde, si suis rationibus consultum ire velit, oportere, ut quamprimùm imperatis sine tergiversatione pareat, & novis rebus abstineat; aliter longas Regibus manus esse intelligat.* Minantibus verbis addidit minacem vultum. Cæterùm cùm sibi periculosam tanti viri libertatem existimaret, propriæ securitati consulere in animum induxit, intentusque in occa-

occasionem tollendi de medio Brigantinum, quæ prima sese obtulit, libenter amplexus est. Prætereà multa postea ad hæc accesserunt, quæ etsi per se levia, ægrum tamen Regis animum graviùs exulcerarunt. Cùm Rex Montemaiorem (quod oppidum erat in ditione Marchionis Montemaiorensis) adiret comitia dissoluturus, Marchio Joannis adventum concelebrandi gratiâ, luctum amissi Alfonsi Regis læto cultu mutavit. Quodquidem Joannes, tāquam flagitiosam assentationem, severè increpuit,

Deliberat Rex Brigantinum de medio tollere.

L mox-

moxque ipſum Marchionem ob jurgium inter ipſum,& Joannem Galvanú deſignatum Archiepiſcopum Bracharenſem multavit exilio; eo nempè cóſilio, ut Brigantinorum potentiam fratrum diviſione infringeret; exiſtimanſque elatum Brigantini animum rigore undequaque adhibito flectere in officium poſſe; ſtatuit cauſas quærere, quarum obtentu nimiâ ſeveritate in ejus fratres uteretur.

Brigantinorum potentiam infringit fratrum ſeparatione.

Ergo Alvarum aggreditur opportunú injuriæ, quod eſſet adminiſtrationi reipublicæ immixtus. Erat is Can-

Alvarū Portugalenſem magiſtratibus ſe abdicare cogit.

Cãcellarius maximus, cujus muneris eſt curare ne regia decreta, magiſtratuumque ſententiæ cujuſcunque jus offendant. Quod Alvarus, tametſi ope cujuſdam juris apprimè conſulti, egregiè impleret; nihilo tamen ſeciùs ipſum Rex ab officio amovit, per cauſam conferendi munus illud homini legum perito, & qui in exercendo magiſtratu alieni conſilii minimè indigeret. Poſtea verò quò ſe à publica invidia removet, ereptum munus Alvaro reſtituit; eâ tamen lege, ut ſine adjutore illud exerceat; quod

Alvarus, cognito Regis animo, rejecit. Cùm idem Præfectus juris esset; (Rectorem justitiæ appellant) licèt magistratum illum sanctè, ac sine ullius querelis gereret; nihilominus eamdem ob causam ostendebat Joannes suspectam sibi esse ejus integritatem. Quibus tandem offensus Alvarus, hoc etiam munus ejuravit. Sed Marchio Mótemaiorensis exilio efferatus palam maledicere Regi nobilium animos alienare, resque novas moliri invitis fratribus, Brigantino præsertim, qui semel, atque iterũ Marchionem, ob

Montemaiorensis vindictæ cupidine flagrans, res novas moliri pergit.

ob conatus Regi maleficos, severè increpuit; sed ipse monita aspernatus, certum hominem ad Regem Castellæ mittit, qui acerbas querimonias de Joanne Rege deferat. Quæ licèt Ferdinãdo grata fuissent, pro ut Joannem sollicitabant, noluit tamen Rex cautus eis aures præbere, ne finitimo bello sponte sese implicaret. Hæc inter, casus inopinatus evenit, qui Regi optatam præbuit ansam ut Brigantinam domum ultimo mandaret exitio. Res ita se habuit. Cùm Brigantinus diplomata, quibus

Fortuna ansam Regi præbet ad Brigantinũ opprimendũ.

 pri-

privilegia ſibi à prioribus Regibus conceſſa continebantur, oſtendere voluiſſet; Joanni Alfonſo domui ſuæ ratiocinario juſſit, ut Villamviſoſam adiret, & ex chartophylacio hæc documenta extraheret. Ipſe autem ſeu morbo præpeditus, ſeu fato detẽtus, juveni filio negotium dedit, qui juvenili incuriâ, atque temeritate parum de re ſolicitus in conquirendis diplomatibus, Lupum Figueiredium ſociũ, adminiſtrumque adhibuit. Lupus autem, dum omnia perluſtrat, fortè literas invenit per Brigantinum ad Regem

In Briganti-nichartophy-lacio inventa ſunt literæ ipſi exitiales.

Regem Castellæ scriptas, ex quibus nova animi ab Rege alienatio induci poterat. Ergo Lupus clam surripit literas, easque statim Regi tradit, qui eas ab Antonio de Faria secretorum participe exscribi fecit, atque eidem chartophylacio, ex quo subtractæ fuerant, restitui jussit, retentis apud se exemplaribus; & licèt indiligentia, quâ epistola servabatur nõ magnum subesse crimen ostenderet; nihilominus Rex cum jamdiu apud se statuisset nullam prætermittere occasionem opprimendi Brigantinum, statim

ſtatim decrevit eum quámprimùm in carcerem detrudere; veruntamen cùm in magnis conatibus facilior ſit deliberatio, quàm factum; neceſſe erat temporis opportunitatem expectare, nec minùs præſentia, quàm futura providere.

Rex infeſtū in Brigantinos animum diſſimulat.

Interim, ut animus melius tegeretur, mutare cōſilium ſimulat, & Brigantinis placatiorem videri affectat: & quia rebatur favorem, quo Rex Caſtellæ Brigantinos proſequebatur, eos maximè ad res novas incitare, ſtatuit Ferdinandum perpetuâ ſolicitudine

Ferdinandū Regem Brigantinorum fautorem ſolicitum reddere nititur.

tudine afficere, eoque Joãnam Henrici Castellæ Regis filiam, de qua supra memoravimus, è Monialium claustro exire fecit, ac regio more coli. Atque hæc diffidentium animorum suspicio, quæ hinc oriebatur, magnum in modum aucta fuit, postquam literæ ad manus Regis Castellæ pervenerunt, quibus Ferdinandus Gondisalvius Episcopus Lamecensis, ac regiis sacrificulis præpositus, Alfonsus Ferrara natione Castellanus, & Alvarus Lupius Joanni à secretis Phœbi Navarræ Regi suadebant, ut Joan-

ná uxorem duceret. Quidam Castellanus scriptor tradit, Joannem, ut prosperis Ferdinádi rebus noceret, his de nuptiis cum Galliæ Rege, & Phœbi cōsanguineo egisse; adeò quidem occultè, ut summopere niteretur peragere eas nuptias priusquam innotescerent. Quæ quidem omnia novum bellum minari videbantur: quia ea, quæ Joannes moliretur, pacis fœdus apertè infringebant.

Criminationes in Brigantinum augentur.

Iisdem ferme diebus gliscere in Brigantinum accusationes, & aliquot epistolæ ab eo ad Regem Castellæ

Castellæ datæ in deterius detorqueri; & sanè cùm semper aliàs in omnia Ducis cōsilia excubasset Princeps circumspectissimus, tunc hoc tempore præcipuè in eam curam animũ intenderat; quod cum de dimittēdis obsidibus acerrimè ageret, idque Brigantinum molestè laturum arbitraretur, verebatur ne quid tentaret, quo minus res conficeretur. Neque ea opinio Regem fefellit; siquidem Brigantinus, qui iisdem obsidibus suã ipsius securitatem constare existimabat, summopere rem impedire nitebatur. Auxit

Alvitiensis Dinasta Brigantinum læsæ fidei apud Regẽ criminatur.

insuper crimen Joannes Ferdinádius Sylverius Alvitiensis Dynasta, qui ex Castella, ubi legatione defunctus fuerat, Lusitaniam reversus, Regi nuntiavit, omnia consilia sua, & cogitationes ad Ferdinandum deferri; quod ex ipsis responsis ab eodem Ferdinando sibi datis facilè appareret; idque fieri aiebat propter monita per Brigantinum Ferdinãdo trãsmissa. Quanvis autem incredibile nonnullis videretur, Regem adversum alios cautum, & tectum, Brigantino de cujus fide solicitus erat, abditissima

quæ-

quæque aperuiſſe, quæ ne fidiſſimis quidem crederet: cùm tamen regium in Brigantinum odium præcipuus criminator eſſet; omnia tanquam maximè deſiderata facilè fuere credita; & donec providebâtur, quæ tempus monebat, viſum fuit ultionem differre, atque interim benevolentiam ſimulare.

Cæterùm Rex ne cum tanto viro, & ſibi propinquâ cognatione conjunĉto, ſummo jure agere videretur, Brigantinum ad ſe aliquando vocat, & remotis arbitris, illum in hâc fermè ſentẽtiam alloquu-

Rex Brigantinus amicè monet.

tus fertur. Nimirum *se pro compertò habere illum fœdissimo defectionis crimine teneri, quod se magis ob hominis sibi sanguine conjuncti dedecus, quàm ob proprium periculum dolere; fateri ipsum magnis virtutibus præditum, optiméque de se, & de republica meritum, verùntamen elatum animum bonos, vel malos exitus cōsequi, pro ut bene, vel male ducitur: si debitâ moderatione contineatur, gloriam, ac securitatē parere; at si terminos officii exuat, infamiam perniciemque afferre. Cogitet proinde Regem suorum conatus facile compescere; at contrà Cives Regis iram ægré evadere. Leges ultimis comitiis promulgatas, quod ad Brigantinam domum spectat malle se ab ipso observari, ut cæteri nobilium habeant exemplum obtemperandi Regio imperio, quàm quôd reapse pristina Brigantinorum privilegia tollere decreverit. Quod si ipse*

ipse promptè jussis suis audiens esse velit, neque novas res agitare; se ejus merita in posterum æquis præmiis prosequuturum.

His allectus Brigantinus, testari Deum immortalem nunquam se debitam Regi suo fidem violasse, imò nihil sibi magis ante oculos observari, quàm illum sanctissimè colere; namque obsequium in Principem, tanquam præcipuam hæreditatem, à maioribus accepisse: illum ipsum magnitudinem suam non mediocriter lædere dum talia suspicatur. Nam præterquàm quòd degeneris animi sit temerè de aliis malè sentire; tunc maiestas integra servatur, cùm proditiones nequaquam fieri posse putantur. Nec sibi fraudi esse debere consuetudinem cum Rege Castellæ, utpote quæ orta sit ex arcta sanguinis propinquitate, neque in ipsum Ioannem Regem quidquam infidele contineat: quinetiam multò minus

Purgat se Brigantinus.

repre-

reprehendendam libertatem, qua usus sit in defendendis avitis privilegiis; scilicet apud Principem justum, ac generosum; quippe præcipuum æqui Principis indicium sit licere omnibus jura sua legitimè tueri. Quæ quidem Rex tam patienter audivit, quàm observavit cautè vultum, habitumque dicentis, & pro insita dissimulatione Brigantinum honorificè amplexus fuit. At ipse Regiã dexteram deosculatus (qui semper finis cum Rege colloquii est) perinde supplex, ac solicitus recessit.

Urget Rex legum executionem.

At verò Rex quanvis ostendisset Brigantino in exequendis decretis mitiùs acturum; tamen nequa-

quaquam ab incœpto destitit; imò impensiùs rem perficere curavit; existimabat enim Regiam potestatem labare, si latas leges executio non sequeretur.

Interea tamen Dux Brigantinus, & ejus fratres unà cum Duce Visiensi Vimierium conveniunt, ac denuo antiqua privilegia quoquo modo defensum ire conjuravere; statimque Rex de hoc conventu certior est factus, simulque accepit, non deesse qui dicerent, ipsum non publicæ utilitatis causâ, sed animo Brigantinos opprimendi acerbæ legis

Brigantini, & Dux Visiensis Vimierium cōveniunt, & privilegia defendere denuo statuūt.

 exe-

executionem acriter urgere: verùm Joannes ſpernẽdis rumoribus validus, ad ea agenda, quæ ex uſu videbantur, animum intẽdebat. Sed Marchio Mõtemaiorenſis, ejuſque fratres Alvarus Portugalius, & Comes Faranus, cognitâ Regis in ſe iracundiâ, in monaſteriũ quatuor millia paſſuum ab Ebora diſtans, non ſemel congreſſi ſunt, ut de rebus ſuis maturè conſilium caperent. Cùm ita de communi periculo vitando agerent, Marchio, qui cæteros ætate antecedebat, Regique erat infenſior, hæc, aut ſimilia verba jecit.

Sæpe in hunc locum, fratres amantissimi, convenimus, ut propriæ securitati consuleremus; sed ita posita res est, ut si diutiùs hæsitaverimus, agendi tempus inter consultandum evanescat: jam nobis ultima pernicies adest, & in tali rerum desperatione periculosior est quies, quàm temeritas: neminem vestrum Regis crudelitas, & in domum nostram impotens odium latet; quid ergo fratres patientiâ nostrâ tyranni sævitiam alimus? Possumus ne sperare, obsequio ac reverentiâ ejus iram lenituros? Minimè quidem; nam ea est tyrannis conditio, ut oppressorum modestiâ eorum crudelitas magis exardescat, quàm crudelis animus mitigetur. Nemo nescit Reges sacrosanctum maiestatis decus exuere, cùm privata odia exercent. Nonne maiores nostri Sanctium Regiâ potestate jure privarunt ob rempublicam segniter habitam? quin igitur Joannem ob

Marchionis Montemaiorensis ad fratres oratio.

 exer-

exercitam tyrannidem eádem illâ potestate, quá in nostrum exitium abutitur, spoliare possumus? Non est dubium quin populi eo pacto se Principibus subjecerint, ut eos æquitate regerent; quód si imperium in tyrannidem malè vertunt, jam ipsi á jurisjurandi religione Cives absolvunt. Regem Castellæ in auxilium paratum habemus. Plerique nobilium quantô quis opibus potentior, tantô Joanni infestior, & ad detrectandum jugum promptior. Quid igitur restat, perpendite quæso, nisi turpem timorem deponere, & tyrannum exitium nobis agitantem occupare? Neque vos ignominiæ formido detineat, quandò ita á natura comparatum est, ut non aliás magis, quâm in discordiis civilibus exitus acta comprobent: si vicerimus, patriæ assertores, si fuerimus victi, desertores æternûm vocabimur. Quod consiliũ vel dictu nefarium Alvarus,

Fratres á Marchione dissentiunt, & Alvarus illum increpat.

rus, & Faranus acerbè increpuerunt, & Alvarus, ut fratris insaniam acriùs cohiberet, & à scelesta cogitatione averteret, in hũc quasi modum exorsus est.

Licét magis fortasse expediat orationem tuam, tanquam iracundiâ, non judicio prolatam, contemnere, quàm arguere: attamen amor in te meus non patitur, ut tuo præcipitio non statim occurram. Non abnuerim sanè Regem, nescio quo fato, immeritò in nos irá accensum esse; veruntamen ejus iniquitatem infamiá nostrá vitare non debemus: nam satiùs erit nobis Regis odio cadere, quàm metu nostro. Nec inanis assertoris patriæ titulus te, ò frater, deludat: nobis enim solùm incumbit, bonos Principes expetere, qualescunque ferre; imò dum eorum sævitia pluribus innotescit, magis eni-

Ejus oratio.

 tere

tere debet fides nostra. Juris-peritis disputandum defero, an liceat reipublicæ, Reges, qui traditâ potestate abutuntur, ab imperio amovere; sed quis sanæ mentis nesciat jus, potestatemque exigendi Reges, ut jam universis civibus sit, singulis non esse? Quin etiam magno rubore suffundor, dum cogito te metu mortis famam spernere. Ubi est illa tua flagrantissima gloriæ cupiditas, quâ in Regum obsequium tot labores exantlasti, totiesque vitam in discrimen dedisti? Quis furor est bona juventæ flagitiosâ senectute commaculare? Quæ dementia, cùm incertū periculum vitare quæras, in perniciem certissimam te immittere? Vanum deinde est à Rege tuo deficere externorum Regum auxiliis fretum: nam proditores etiam ab iis, quibus maximè inserviunt, sæpissimè deseruntur. Deponas igitur, te impensè rogo, insanum consilium, etsi Regis iram tantopere

for-

formidas, existima gloriosiùs tibi futurum innoxiè perire, quàm flagitiosè evadere.

Mitigatur Montemaiorensis Alvari oratione.

Hac oratione obtinuit Alvarus, ut Montemaiorensis à primo animi impetu desisteret; & tandem omnium sententia fuit, ut Alvarus Regem adiret, oraretque vellet juberet, ut privilegiorum controversiæ jure disceptarentur. De quibus Brigâtinus certior factus, sicut Montemaiorensis prius consiliũ reprehendit, ita posterius comprobavit. Rex Alvaro ea, de quibus inter fratres convenerat, apud ipsum è differenti affectatâ clemẽtiâ respondit, & eâdem simu-

mulatione se gessit, donec filium in potestatem recepit, & securus de offensione Regis Castellæ, meditata sine ulla solicitudine exequi licere intellexit. Etenim adeò callidè inter se agebat uterque Regum, ut magis bello abstinere, quàm pacem colere viderentur. Et cùm neutri bellum usui in præsentia esset, obsidum dimissionem, quam pepigerant, tandem implerunt. Ob idque Ferdinandus conscientiæ suæ moderatorem legatum ad Joannem misit, à quo benignè Avisii exceptus, mādata exposuit, quorum caput

Ioannes obsides dimitti, & Ferdinandus pacem firmari curant.

put erat, ut fœdus confirmaretur: addebat insuper inter Principes tot amoris vinculis adstrictos, supervacanea esse alia amicitiæ pignora. Imò verò obsides potiùs incitamenta suspicionum, & simultatum, quàm amoris vincula videri. Sed quando animis suspicio inest, ostentatio benevolentiæ solicitudinem auget. Itaque Rex legati postulatis non gravatè assentiens, Petrum Noronium Regiæ præfectum, Antonium Franciscanum sodalem sibi à sacris confessionibus, Joannem Texerium Cancellarium ma-
 ximum,

ximum, Mauram oppidũ misit, ut filium ejus nomine reciperent, addito Roderico Pina, qui legationis acta scriberet. In itinere factus est illis obviam Brigantinus, qui tecto mœrore, quo ex obsidum dimissione afficiebatur, vultu tamen ad lætitiam composito, ne timorem detegeret, postquam de Regia solicitudine erga Brigantinorum fidem conquestus est, legatis ostendit cupere se Alfonsum Principem, unà cum ipsis legatis ad Parentem deducere. Quod eâ mente dixit, ut ex legatorum sententia Regis in se

Brigantinus Principẽ obsequii causâ deducere cupis.

se

ſe animum exploraret. At illi, quanvis conſilium taciti apud ſe probaſſent, attamen rei auctores inſcio Rege fieri timuerunt, quoniam ſub principe ſuſpicaci non ſolùm crimen, ſed criminis umbra fugiẽda eſt. Jam diu erat quòd Rex Brigantinum in carcerem conjicere decreverat; verùm, ut ſuperiùs ſcripſimus, id agere priuſquã filium reciperet, maximè periculoſum exiſtimabat; quam ſolicitudinem Brigantini obſequium auxit: nam cùm Alfonſum per ejus ditionis oppida iter facere oporteret, timebat

Ejus obſequium Regi ſuſpectum.

Rex ne is filium per vim retinere apud se vellet: verùm ne fortè Ducem de eo moneret, quod ei fortassè in mentem nunquã venerat; placuit nullum talis formidinis signũ præbere, & Noronio per nuntium significavit Brigantini officium sibi esse gratissimum; addiditque non invitasse se Ducem ad Alfonsi comitatum ob ejus infirmam valetudinem, qua laborare acceperat. Quibus Brigãtinus deceptus, non solùm Alfonsum comitatus fuit, sed etiam suis oppidis magnificè, & officiosè excepit, ut

Sed suspicionem celat.

Brigantinus ostentat innocentiam.

ut se ab omni infidelitatis suspicione vindicaret. Sed insita Regibus natura, iis, de quorum fide semel dubitaverint, nunquam satis confidere. Obsides tandem VIII. Kalend. Jun. an... M. CCCCLXXXIII. restituti. Alfonsum Joannis procuratores, Elisabetham Ferdinandi legati acceperunt. Alfonso verò Eboram venienti prope urbem pater obviam processit; neque tamen diei festivitas iram in Brigantinum lenivit, imò ibi Rex meditata exequutus fuisset, ni ille insignem animi constantiam præ se ferens,

Dimittuntur obsides.

Ioannes filio venienti occurrit.

conſcientiæ ſuſpicionem avertiſſe videretur. Sunt qui ſcribant Brigantinum à fratribus per codicillos admonitum de periculo, ſed ipſum ſpretis admonitionibus, ſeu conſcientiâ fretum, ſeu fato ductum, non aliàs ſecuriorem ſeſe oſtendiſſe; unde quidam omnino innocentem, omnes nimis conſtantem judicarunt.

Brigantinus monita fratrum de periculo vitã de aſpernatur.

Alfonſi reſtitutio, ac præſentia non parentibus tantùm, ſed univerſæ Luſitanorum genti ſummo gaudio fuit. Nam præter ſolitum amorem, quo hæc egregia natio omnes Principes

Luſitani Alfonſi reditu mirè lætantur.

cipes suos colit, Regia pueri indoles, vultûs decor, ac suavitas oris omnium animos mirificè rapiebat. Nec multo post ei pater domũ, quæ decebat, constituit: Joannem Menesium postea Taroucæ Comitem, pædagogum, Gomesium Figuerediũ œconomum dedit, insuper viris, puerisque sanguinis splendore, virtuteque ornatis eum circũdedit. Siquidem noverat prudẽtissimus Princeps quantum reipublicæ intersit, ut Principes à prima pueritia tales viri circumstent, qui illorum mẽtes regiis documentis imbuant,

Pater ei domum constituit.

buāt, & mores probo exēplo egregiè ſanctèque forment. Quos ita electos, ut de munere rectè implendo admoneret, omnes ad ſe vocat, adſtantibuſque, cùm parumper reticuiſſet, ita exorſus eſt.

Rex filii domeſticos de munere rectè implendo hortatur.

En vobis filium, ac ſucceſſorem, neſcio quo nomine chariorem, educandum, colendumque trádo: Nec ego præbēre poſſum illuſtrius documentū fiduciæ erga vos meæ, quàm vobis credere Luſitaniæ futuri Regis educationem; nec vos mihi, & patriæ aliud melius præſtare, quàm optimè inſtruere puerum, á cujus virtutibus, aut vitiis bona, vel mala publica pendent. Ego ſucceſſorem Regno dedi, vos Principem formabitis: nā Principes ſicut cæteri homines á parentibus genus, á præceptoribus, & ſociis mores trahunt.

bunt. Dabitis ergo operam diligentissimè ne quid Alfonsus ex vobis audiat, videat ve Principis auribus, aut oculis indignum: ita vos & loqui, & agere oportet, ut verba, factaque vestra rectissima sint norma loquendi, atque agendi ea, quæ optimum deceant Principem. Verùm ad hoc munus non sufficiet multos vestrum, aut etiam plurimos esse optimos, sed omnes ut sitis oportet; quando adeò mala exempla validiora sunt, quàm bona, ut unus sæpè destruat, quod multi ædificaverant. Insuper non gratiam Principis, virtutes cupere debetis; magis enim vobis expediet Principem optimum habere, quàm amicum; quoniam istius laboris præmium securius vobis erit in alumni virtutibus, quàm in amicitia: etenim favor mutabilis, virtutes constantes erunt. Plura admonere oportebat, at satis dixi, si vos bene elegi.

Ipsis, postquá de obsequendis mandatis fidem suam exquisitissimis verbis obligaverant, ad munia digressis, Rex undequaque pueros nobiles in aulam venire jussit, ut unà cum Alfonso educati à teneris annis illi inservire, amareque assuescerent; & bonis artibus instructi (erant enim in aulâ, ut retulimus, idonei præceptores) ad publica munia obeunda aptiores evaderent. Ex quodam auctore illius temporis constat Alfonsũ à patre Platonis sententiá sequuto in studium Philosophiæ maximè inductũ fuisse;

Etiam pueros nobiles, & bene educatos in filii domũ vocat.

Filium philosoph. á imbuendũ curat.

fuiſſe ; ſed intempeſtiva mors non ſivit, ut experimẽtis cognoſceretur quãtùm hæc ſcientia in Alfonſo publico regimini prodeſſet.

Brigantinũ detinere properat.

Reſtituto Alfonſo, diu in Brigantinum meditata non ultra Rex diſtulit flagrantiore indies, aut ſecuritatis, aut vindictæ deſiderio. Quem & ſi fratres per crebros codicillos de vitando periculo identidẽ admonerent, ipſe tamen mirâ quâdam animi conſtantiâ ſecurus ſprevit omnia. Habet has vices conditio mortalium, ut idem conſilium quandoque no-

ceat, profit quandoque; fiquidem ea ipfa fecuritatis oftentatio, quæ nuperrimè Brigantino profuerat, mox ipfi lethalis fuit. Si enim, poftquam in Alfonfi comitatu omne obfequiũ adimpleverat, ad fuæ ditionis oppida revertiffet, haud dubium eft quin Regi occafionem adimeret fe detinendi, ac poftea temporis intervallo forfan in melius res verteret. At verò cùm tandem nimis jam ferò proficifci decreverit, Regem adivit, qui licèt, tunc expediendis negotiis incumberet, attamen Brigantinum intrare, fibique affidere

Brigantinus abire parat, fed fruftra.

assidere jussit, nihil intermissâ consultatione, donec dimissis arbitris, solus Brigantinus in cubiculo manens, fidem suam, & obsequium in Regem testari, suspicionem indolere, accusata expurgare, & à Rege enixè petere vellet, omnia accuratè examinare. Quibus Rex æquum postulare, brevìque ità facturum respondens, illum in proximam cubiculo turrim subire, ibique manere jubet, aliquot equitibus ad custodiam relictis.

Dum apud Regem crimina purgare curat, detinetur.

Eadem in nocte consiliorum administris aperuit

causas, per quas Brigantinum detinere decreverat; qui non solùm factum probarunt, sed etiam, sicut ferè aulicis mos est, ut Principis desiderium anteirent, censuerũt ita Brigantinum custodiendum, ut è carcere elabi non posset, ejusque ditionis oppida, & Castella protinus in Regis potestatem redigẽda, ac Regem Castellæ de peracta re eâdem celeritate admonendum. Dimisso consilio, Rex Ducem Visiensem ad se vocavit, coramque Reginâ, tanquam criminis conscium, severè increpuit, monetque caveat

Proceres facto probant, & per assentationem extollunt.

Rex Visiensi Duci pœnã remittit.

veat in poſterum, ne in ſimilem culpam incidat; aſſeverans teneræ ætati, arctæque neceſſitudini primum delictum condonare.

Brigantini calamitas variè Luſitanos affecit. Nam plebs, quæ Regem unicè amabat, furere in Ducem, pœnas poſcere, & in Regem ſtudia ſua tumultuosè oſtentare. At nobiles cõtrà cùm viderent Principem nobilitatis virum nullo à cæteris hominibus diſcrimine haberi, nullam melioris conditionis ſpem ſibi reſtare exiſtimabant; ſed quia ſcirent callido

Nobilium, & plebis habitus animorum.

lido Regi ſigna omnia, ex quibus animorum motus conjectari poterant, accuratè obſervari; omnes vultu ad lætitiam compoſito undique ruere in gratulationes ob oppreſſam conjurationem, & quantò quiſque ſe in Brigantinũ infenſiorem jactabat, tantò magis ſe credere fideliorem haberi. Sed inter tot deformis ſervitutis officia, non defuerunt ægregiæ libertatis exẽpla, quæ Rex per ſimulationem magis ſibi placere oſtendit, utpote qui apprimè noverat non alias magis æquitatem Principum innoteſcere,

Rex Nobiliũ libertatem magni facere oſtendit.

cere, quàm cùm ſuorum virtutes, vel ſi diſpliceant, magni æſtimant.

Optimates pro Brigantini libertate ſe obſides offerunt.

Nonnulli procerum, cùm Ducem innocentem putarent, & hominis incolumitatem, cujus magnitudo ſe, cæteroſque nobilium à Regis impotentia tuebatur, magnopere cuperent, non ſunt veriti ſe, ſuaſque opes omnes, ac caſtella Regi offerre in Brigantini innocentiæ pignus, ſi modò eum è cuſtodia demittere vellet: quibus ipſe ita ambiguè reſpondit, ut amplecti poſſet, quod pro tempore foret; noluit enim Rex

prudens antequam de Regis Caſtellæ animo, & de Brigantini oppidis in ſuá poteſtatem redactis, certior fieret, nobilitatis precibus ſe inexorabilem oſtendere. Utriuſque tamẽ negotii exitus Regis voto reſpondit. Neque enim aut Ducis legati caſtella regiis tradere dubitarunt, aut Ferdinandus aliquid hoſtile pro Ducis defenſione movere demonſtravit: quorum utrunque ejus innocentiæ plurimũ favere videbatur: nam niſi conſcientiâ fretus foret, caſtellorum ſecuritati antea proſpexiſſet; atque etiamſi

Omnia Regi feliciter accidebant; indeque Ducis innocentia conjectatur.

etiamsi Ferdinandus fautor conjurationis foret, conjuratos penitùs non deseruisset.

Sed quanvis rebus prosperè succedentibus securiùs agere Rex posset: attamen è re sua esse existimavit Regis Castellæ consilium penitiùs explorare; literas ergo per Ægidium Ferdinandum, unum ex regiis sacrificulis, ad Ferdinandum Regem dedit: *Decrevisse se justis de causis Brigantinum detinere, proniorem ad clementiam, quàm ad vindictam esse, itaque pro ingenio quantum æquum ac bonum exemplum permitteret, ad favorem inclinaturum; utrosque Reges sanguine, & amicitiâ esse conjunctos,*

Ioannes Ferdinandi animum per literas scrutari tentat,

proinde jure ac meritò sperare se posse, ut alterius causa alteri cordi foret. Quibus Ferdinandus pari simulatione respondit; ac postquam in principio epistolæ longâ falsâque oratione ostendit multum se dolere quòd Joannes tot nominibus sibi devinctus domesticis discordiis laboraret; addidit insuper: *Nullum sibi pro Brigantino timendi locum relictum, quando ipse apertè fateatur esse se naturâ clementem, & in Brigantinum optimè animatum: quin etiam ipsius viri magnitudinem Regio sanguine, & affinitate conjunctam postulare, ut nequid temerè vindictæ dandum sit: desiderare se interim ut Joannes ad se certum hominem mittat, quo possit de totâ re, causâque Ducis exactè*

Ferdinandi callida responsio.

erudiri,

erudiri, cujus circumstantiis perspectis, sententiam suam proferat eâ animi sinceritate, quâ agere consueverit cum Rege sibi conjunctissimo. Variis sententiis ii, quibus de Principum factis judicare otium est, Ferdinandum arguebant, laudabantve. Fuere qui dicerent: *Immeritó Ferdinandum Brigantini necessitudinis, & amicitiæ oblivisci, eumque in calamitate deserere, cujus ipse præcipua causa fuerit; facillimo negotio ejus perniciem vitare potuisse; siquidem si paululum ostendisset sibi curæ esse ejus salutem, nequaquam Joannem tam acerbè in Brigantinum consulturum; quoniam Castellana res adeò ei formidolosa esset, ut nihil tãtopere illum solicitum haberet, quàm Ferdinandi judicium.* Nec deerãt qui contra sentirent: *Nullum*

De Ferdinãdo Rege judicia.

Principem decere propalam aliorum discordias alere; earum auctorem se Ferdinandum profiteri, si Brigantino impensè faveret; noscere Ferdinandum Joannis bellicæ virtutis præstantiam, & Lusitanorum militares animos, rebusque suis minimè conducere Lusitanum bellum addere Granatensi, cùm duo finitima bella sustinere nimis onerosum sit: non eamdem privatis hominibus, ac Regibus agendi rationem esse; nam publicam utilitatem, tanquam supremam legem, maximè apud Principes rebus omnibus prævalere debere. De utraque sententiâ judicium proferre non libet; hoc unum pro comperto habeo, nulli mortalium convenire, Regem suum vel levissimè offendere, aliorum Principum promissis, ac fa-

favore enixo. Dùm hujuſmodi judiciis Ferdinandi nomen vel læditur, vel defenditur, Regius procurator Brigantinũ accuſatione petit, cujus præcipua capita hæc ferme erant.

Regius Procurator accuſationem in Brigantinũ orditur.

Sæpiſſimè eum Regi maledixiſſe, nocereque, quoad ejus fieri potuerit, tentaſſe; atque eo ſpectare arctam familiaritatem, quam cum Caſtellæ Rege, ac Reginã contraxerat, quibus ſecretiſſima quæque Regis ſui conſilia detexerat.

Accuſationis capita.

Marchionis Montemaiorenſis infidos ac pernicioſiſſimos conatus celaſſe, cùm eos Regi ſine morâ indicare debuiſſet.

Regem Caſtellæ ſolicitaſſe ne obſides, qui in novo Aruccitano oppido tenebantur, reſtituerentur, eo animo, ut Regis commodis obeſſet.

Ca-

Castellanos provocasse ad Guineæ partem occupandam maximo rei Lusitaniæ detrimento.

Civitatum procuratores instruxisse, quomodo in Comitiis Regis voluntati resisterent.

Suæ ditionis hominibus plurimas intulisse injurias, & ad Regem appellationes contra leges denegasse.

Hisce objectis criminibus Rex quæstionis judicem nominavit Rodericũ de Granã capitalium rerũ in Regia prætorem, Alfonso Barrio, & Jacobo Pinario legum ea ætate peritissimis ad defendendum reum datis. Ad sententiam autem pronuntiandam jus dicentium senatum, qui tunc

Reo defensores dantur,

Senatus jus dicentium, Eboræ transfertur,

tunc Turribus veteribus habebatur, Eboram transtulit. Ipse Brigantinus auditis, quæ objectabantur, nec annuit, nec inficiatus est; verùm ut Regis misericordiam conciliaret, à Roderico de Pina, qui erat Regi à secretis, petivit, ut ejus nomine ab ipso Rege clemētiam oraret, illo Davidis recitato. *Non intres in judiciū cum servo tuo Domine; quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Huic supplici petitioni addidit aliam, quæ non minus æquitati consona videbatur; orabat enim, ut ejus causa per viros sibi nobilitate, & opibus pares decerni Rex

Brigantinus nec accusata negat, nec fatetur.

Regis clemētiam orat, sed frustrà.

vellet eâ libertate, quæ generosis animis ferme insita est, Regi verò subjectis, ejusque commodo obnoxiis plerunque deest. At Rex precibus minimè indulsit, imò ita quæstionem acceleravit, ut quinque, & viginti dierum spatio ad accusationem, defensionemque dato, causa ad senatum delata sit.

Quæstio acceleratur à Rege.

Cæterùm Rex conclave, in quod ad proferendam sententiam senatum coegerat, picturis Traiani vitam referentibus ornare jussit; hac enim etiam decorâ specie ostendere voluit, semper hujus Prin-

cipis

cipis integritatem sibi ad imitandum proponere: multum irridentibus, qui postea videre ipsum judicio assidentem. Et quanquam jure interfuisse jactaret demonstrans Principes juris fontes, imò ipsũ jus esse, & tanquam odio, amore, alio ve humano affectu vacuis nihil aliud nisi amorem recti eorum faciẽ judicibus inferre posse: attamen si quis rem prudenter æstimet, satiùs fuisse judicabit, Regem senatu abstinere, ne videretur Maiestatis suæ præsentiâ judices terrere velle. Ipsi verò senatum introeunti

Jacobus Pinarius proclamat non licere Regi accedere judicio.

Jacobus Pinarius Brigantini defensor intrepidè occurrit dicens, non licere Principi interesse senatui, cùm de ejus causâ agendű sit. Magna hominis laus, qui pro officio Regi contradicere ausus est, magna etiam Regis, cui justè contradicere homines audēt. At Rex tametsi Jacobi libertatem magni pendere demonstrasset, non tamen ab incœpto destitit, & ut æquitatis famæ consuleret, meditatâ oratione judices monuit, ut ad clementiam, quàm ad rigorem proniores essent. Juris consultis judicibus aliquot

quot ex primoribus ſunt additi, qui biduo in proferendis ſententiis conſumpto, Brigantinum denique capite plectendum, ejuſque bona fiſco addicēda decreverunt. Igitur IX. Kal. Jul. M.CCCC.LXXXIII. ex turri, in qua cuſtodiebatur, nocte intempeſtâ globo hominum ſeptus ad cujuſdam reſtionis domū foro ſitam traductus, ibi à Paulo uno ex ſodalitio eorum, qui Cærulei vocantur, ejuſque conſcientiæ moderatore, ultima neceſſitas denuntiata eſt. Quem nuntium cùm abſque ullâ animi conſter-

Brigantinus Iudicũ ſententiâ damnatur.

natione excepiſſet, protinus ad animæ noxas expiandas totus incubuit, ac Sanctiſſimo Domini corpore reverenter excepto, reliquum noctis divinam miſericordiam implorando tranſegit: poſt quæ ſe in retractius cubiculum ſeduxit, ibique teſtamentum ſuâ manu exaravit, in quo adhortatus eſt uxorem, liberos, fratres, ac famulos ut debitam Regi fidem perpetuò ſervarent, illud unà cum epiſtolâ ad Regem Paulo tradidit. Epiſtolæ hæc erat ſumma.

Se ad mortem parat.

Ejus ad Regem epiſtola.

Extremum ſupplicium brevi ſubiturus has literas Domine, ultimum obſequium teſtantes

stantes scribere accingor. Vicem meam apud Maiestatem tuam condolere non est consilium; quippe qui tot peccata in Deum commisit, scelera, non pœnas plorare debet: at miseræ uxori, liberisque innocentibus clementiam tuam exorare intendo. Etsi mea iniqua sors tot in te meritis prævaluit, tuæ magnitudinis erit iniquæ vim sortis in protegendis miseris superare; sed male vocavi miseros, quos tua necessitudo tutatur. Si & fratres meos, delatores accusent, ad te, inclite Rex, attinet, & ne innocentes pereant curare, & eorum merita non penitùs oblivisci. Plura á te orare denegat instans hora præbendi carnifici idem jugulum, quod toties in tui, Regumque Lusitaniæ obsequium magnis periculis libenter objeci. His ultimis precibus respondit Rex: sine ullo personarũ discrimine jus suum cuique

que tribuendum : multũ siquidem displicuerat Regi Brigantinũ objecta crimina non agnovisse. Nam cùm bonæ famæ in primis studiosus esset, summopere cupiebat per confessionem Ducis omnem dubitandi locum de judicii integritate adimere.

Adulto jam die horrificum tabulatum in foro conspicitur; erat nanque pullo instractum panno, cujus è medio suggestus etiam lugubris eminebat, augebantque terrorem armatorum haud exiguæ manus viarum aditus occupãtes. Quibus dispositis

In forum producitur.

Bri-

Brigantinus ex domo in qua custodiebatur ad tabulatum educitur atrâ, ac ferali veste indutus, lateri inhærente Paulo, aliisque Sacerdotibus doctrinâ, ac pietate illustribus Christi imaginem cruci affixam sequentibus, ac post ultimam noxarum animi expiationem suggestum cõscendens à carnifice atrato obtruncatus est.

Et capite plectitur.

Corpus Eborensis Ecclesiæ Canonici humeris extulerunt ad templum Divo Dominico dicatum, unde postea translatum, in Brigantinæ gentis Mausoleo conditum honorificè

Corpus à canonicis in Templum evectum.

S fuit:

fuit : non parum gloriæ assequentibus Canonicis, qui dum ne hiscere quidem alii auderent, ipsi religiosæ pietatis officium mortuo præstare non formidarunt.

Et postea in gentis mausoleo conditur.

Hunc finem habuit Ferdinandus hujus nominis secundus, Brigantiæ Dux tertius, de cujus sanguinis splendore, & opum amplitudine, cùm jam mentionem fecerimus, non erit ab historiâ alienum de ejus animi dotibus aliquid quoque tradere.

Ejus elogiis.

Primam juventam in Africano, Castellanoque bello exercuit, unde magnam

gnam bellicæ virtutis gloriam retulit: etenim cùm fere summis imperiis fungeretur, maximis se periculis objectabat. Liberalis, industrius, comis, neque superbiâ, sed magnanimitate elatus. Extra, omnia sincerè agere ostendebat; intus, non calliditate vacabat. Potentiæ quoque tempora illi diversa: nam sub Alfonso domi, forisque omnia quasi arbiter moderabatur; at cùm apud Joannem parum gratiosus esset, fortunæ vicissitudinem malè tolerans, in apertum Regis odium incidit. Sed in universum,

æſtimanti vir ſanè fuit meliori fato dignus. Sed meritò ne, an injuſtè damnatus fuerit, nobis nō licet judicare: cùm apud illius temporis auctores variè interpretatum ſit: lector ex relatis æſtimabit. Neque hac de re vulgus conſenſit. Erant quibus videretur Regem Brigantinorum potentiam averſatum, atque eorum cum Rege, Reginâque Caſtellæ amicitiam timentem, illum damnandi cauſas ultrò quæſiviſſe, & qualeſcunque inventas callidè foviſſe; nec crimina ſatis probata eſſe: nam epiſtolæ

De ejus morte varijs vulgi judicium.

ad

Regem Castellæ datæ, quanvis ab Antonio Faria exscriptæ, eâ fide carebât, quæ in judicio requiritur. Quæstionem nimis accelerată, cùm propter ipsius causæ maximum pondus plus temporis in ejus disquisitione impendere oporteret: multum fore æquiùs, ac consultiùs Brigantini meritis, ac regiæ necessitudini aliquid condonare; quoniam in affines sævire efferati, merita oblivisci ignobilis animi esset. Aliter alii sentiebant: male interpretari Regis animum ad Brigantinorũ perniciem intentum; cùm

de suſpecto crimine eum admonuiſſet, dediſſetque pœnitentiæ tempus. Nec verò criminoſis epiſtolis fidem deeſſe, exſcribente Fariâ, aſſerenteque Rege: judicii celeritatem juſtam imò neceſſariá in re adeò gravi, & quæ, ſi ſpatium daretur, interturbari poterat; Regis neceſſitudinem amoris, ac fidei vincula, non delinquendi licentiam eſſe debere. Ad hoc benemeritos præmia ex meritis, non delictis indulgentiam aſſequi oportere. Sed relictis vulgi ſententiis ad incœptum redeo.

Dum

Quomodo ſe habuit Brigãtini uxor,

Dum Brigantinus Eboræ cuſtoditus fuit, ejus uxor Villaviſoſæ degebat, quæ ſanguinis ſplẽdorem feminarum principum virtutibus decorabat; nihil enim in ejus domo, niſi ſanctimoniæ, & antiquæ honeſtatis ſpecimen apparebat, & in ſummâ adverſitate tantam moderationem, conſtantiamque exhibuit, ut nihil non laudabile fecerit. Nam auditâ mariti calamitate, veritane ejus fatum in ſobolem quoque ſæviret, tres, quos habebat filios, celeriter in Caſtellam miſit. Philippum, qui non multò poſt

Filios in Caſtellam miſit,

è vivis

è vivis excessit, Jacobum, quem divina providentia servavit, ut in ejus prole Regnum Lusitanum ab injustâ Castellanorum dominatione ad legitimum dominium revocaret, stupente Europâ Lusitanas victorias, Dionysium, ex quo illustrissimæ propagines extant: filiam verò Margaritam apud se retinuit, quæ tenerâ ætate obiit. Eâdem celeritate Montemaiorensis, & Faranus sese quoque in Castellam contulerunt. At contrà Alvarus conscientiâ fultus, ne fugiẽdo famam læderet, iræ se Regis objecit;

Faranus etiam, & Montemaiorensis in Castellam fugiunt.

Sed Alvarus manet.

cit, qui ut appareret se inter nocentes, & innoxios discrimen servare, Alvaro Lusitaniæ finibus exire, jussit cum eo, ut ubique terrarum, præterquam in Castella, aut Romæ degēti redditibus suis frui liceret. Sed Rex implacabili odio in Montemaiorensem exardens, eum per edictum in jus vocat, neque eo ad præscriptum diem veniēte, Maiestatis reus pronuntiatur, bonisque fisco adjudicatis, in oppido Abrātesio de eo in effigie, tanquam si præsens adesset, sumtum supplicium.

Montemaiorensis absēs damnatur.

Cæterùm inter tot do-

mesticas, & ingentes curas non omisit Joannes expeditiones in maritimam Africæ oram à patre intermissas diligenter instaurare, imò potius acerrimo studio, maximisque sumtibus huic negotio intẽdit animum, ut qui probè noverat hunc laborem Religioni incrementum, Lusitanis gloriam, fisco utilitatem pariturum. Sed antequam ad ea perveniam, quæ Joannes in hoc negotio egerit, necessariũ duxi ad plenam lectoris cognitionem, rem totam à primordio pro instituta brevitate deducere.

Rex maritimas expeditiones instaurat.

Joan-

Joannes Lusitaniæ Rex hoc nomine primus non solùm militari præstantiâ clarus, sed in procreandis liberis felix, inter alios ex uxore Philippa Henricũ suscepit, qui postquam ab expugnatione Septæ Mauritaniæ urbis celeberrimæ militarem gloriam reportaverat, Africano bello, quoad vixit insistere statuit. Naves igitur adornavit, quæ Africæ littora extra Gaditanum fretum ad Austrum sita infestarẽt. Deinde cupidine ignotas terras lustrandi flagrans, classium præfectis imperavit, ut quàm longissimè

Henricus Ioannis primi filius ignotas terras ac mare detegere primus curavit.

possent ultra nota littora proveherentur; quo factũ est, ut viri fortes tum industriâ suâ, tum etiam tempestatum jactatione magnam Africæ partem occidentalem, Æthiopiá, & perplurimas Oceani insulas in Regum Lusitaniæ redigerét potestatem. Qui quidem Princeps quò ad remotiores terras navarchi appellebant, quoque inhumaniores homines inventi erant; eò magis ipse flagrare cupiditate ignotiora explorandi: neque enim propriâ utilitate, sed Christianæ religionis causâ ad eam rem erat com-

commotus; optimèque credebat hac operâ Christi nomen ad remotissimas gentes vehi posse, earumque animos à nefariis superstitionibus ad veri Numinis cultum traduci. Ipse autem ut omnia expeditiora inceptis forent, in eam Lusitaniæ partem se contulit, quæ Algarbium vocatur, ibique in oppido, cui Sagres à sacro promontorio nomen est inditum, sedem fixit. Veruntamen dum ibi huic negotio maximè incumbit, mors superveniens ejus sanctos, inclytosque conatus prohibuit. Rex verò Alfon-

Henrici Principis morte intermittuntur maritima expeditiones.

ſus, quanquam militari animo eſſet prædítus, cùm tamen primos vitæ annos ſub tutelâ cæteros inter inteſtina, Mauritana, finitimaque bella tranſegiſſet, non potuit ab Henrico acquiſita longiùs provehere. At verò poſtquam Joannes regnum eſt adeptus; nihil illi antiquius fuit, quàm Henrici cœptis inſiſtere. Ergo primus acerrimuſque conatus fuit, Guineam occupare, eò quòd ad Chriſti ſegetem, latos agros, ad cõmercium pretioſas merces (aurum ſcilicet, & ebur,) offerebat. Sed quoniam, niſi ſedes fir-

Guineā occupare Rex conatur. Cauſa, quæ id ſuadent.

firmaretur,utrunque precarium futurum erat, placuit illic castellum excitare, in quo Lusitani tutò morari, Æthiopes Christianâ religione imbuere, & merces cõmutare possent. Et licèt, ut in novis arduisque ferme assolet, nonnulli ex consiliariis multa in contrarium objicerent; nempe *longæ parumque notæ navigationis periculum, grave Guineæ cælum, fallacem Æthiopum fidem*. Alii tamen differebãt, *magna nonnisi per discrimina confici: quòd si ad finẽ optatum perveniretur, bene omnem laborem Lusitanos compensaturos*. Quæ sententia Joanni placuit prono semper ad difficiliora

Consiliorum de hac re dissensio.

su-

Classem adornare imperat eique Iacobum Azãbujium præficit.

ſuperanda. Igitur claſſem tantæ rei idoneam ædificare jubet, eique Jacobum Azambujium virum militiâ, & prudentiâ clarum præficit; atque ut minore cum errãdi periculo ignotum mare navigari poſſet, Roderico, ac Joſepho medicis ſuis, necnon Martino Bohemo, eâ ætate peritiſſimis Mathematicis, injunxit, ut adhibito inter ſe conſilio, excogitarent aliquid, quo nautæ curſum navium, licèt in vaſtò novoque pelago, tutiùs dirigerent, ut vel abſtracti à notis ſideribus, cognitiſque littoribus, quam Cæli, ac

ac pelagi partem tenerent, aliquo modo cognoſcerent: ii poſt indefeſſum, ſtudium, longamque meditationem aſtrolabium, inſtrumentum quod ante Aſtronomiæ tantùm inſerviebat, utiliori invento ad navigandi artem maximo navigantium commodo tranſtulere; quod beneficium tota Europa Joāni debere non inficiari poteſt. At Azambuja pridie Idus Decembris Anni M. CCCCLXXXI. Ulyſſipone ſolvens XIV. Kal. Januarii ſequentis anni appulit ad eam Guineæ partem, quæ duarum partiū

Aſtrolabii inventio.

Claſſis ad Guineam appulit.

pagus vocabatur ; poſtea verò ex auri copia, quam illic noſtrates commercio evehebant , Minam , quæ vox apud Luſitanos auri-fodinam ſignificat , appellarunt. Eodem die, quo Azambuja terram tenuit, legatum ad Caramanſam (id nomen Regulo erat) cum donis apud barbaros pretioſis miſit. Poſterâ luce cũ flore juventutis navibus deſcendit , & quò ſibi venerationem conciliaret , quam maximam potuit pompam adhibuit. Ergo milites ipſi , qui ducem comitabantur , aureis torquibus, & ſplendidis veſtibus

bus ornati, loricas , armaque tegebant, ut non minùs ad amicitiam, & reverentiam comparandam, quàm ad vim propulſandam parati forêt. Primum agendi initium fuit vexillum Luſitanorum Regum ſtemmate inſignitum in præalta arbore explicare; deinde Henrici Principis manes, ſacro ritè celebrato, Deo commendare; poſtremò Caramanſam adire, qui barbaro apparatu, haudquaquam tamen regiis opibus indigno, Azābujam excepit. Eo autem colloquio nō ſolùm amicitia, fœduſque ſancita

Luſitani vero Numini altare in Guinea erigunt.

Caramanſa cum Azambuja fœdus icit.

ſunt, ſed etiam facilè impetratum eſt, ut Caſtellũ Azambuja excitaret. Nec mora: opus aggreditur tâtâ ſolicitudine, ut viginti dierum ſpatio peractum fuerit, moxque factâ mercium commutationẽ, claſſis in Luſitaniam revertit cum magnâ auri, & eboris copiâ; ipſe autem Azambuja in Caſtello, quod Divo Georgio, ita Rege imperante, dicarat, cum præſidiario milite manſit; & quanvis ſedulò dediſſet operam, ſicut à Rege in mandatis habuerat, ut Caramanſam ad Chriſtianam religionem traduceret; attamen

Eique Caſtellum ædificare permiſit.

Claſſis in Luſitaniam redit.

tamen Regulus tandiu dæmonum servituti mancipatus; æternæ salutis consilium ad ultimum vitæ diem miserandus sprevit. Est muneris quidem nostri per occasionem lectorem orare ad hoc acriter intendat animum quantam pietatis, quantamque industriæ gloriam Joannes assecutus sit, eo quòd ejus auspiciis prima ara in Æthiopia vero Numini sacrata fuerit, & tunc primum Lusitanus pedem ibi fixerit. Cui sanè non parvum commodum ab hujus dominii acquisitione provenit; nam cognitâ

commercii utilitate, Rex talem in eo augendo curam adhibuit, ut brevì Mina opulentissimum emporium, nominique respondẽs fuerit. Veritus autem ne divitis commercii fama cæteris Europæ Principibus cupiditatem afferret ejusdem cõmodi fruendi, cœpit vel inter suos pericula, ac difficultates ejus navigationis extollere, nec aliud navigiorum genus, nisi unum, quod Lusitani *Caravellas* vocant, ipsis peculiare, aliis verò nationibus inusitatum, posse illinc reverti, sæpissimè prædicabat; atque ut hoc

Rex quò cæteræ nationes navigationem in Guineam reformidarẽt, ejus pericula extollit.

hoc commentum, quod licitum ex Regni sui utilitate ducebat, magis increbesceret, jussit ut aliquot communis structuræ naves, quæ materiam ad castellum ædificandum invexerunt, postquam exoneratæ forent, dissolverentur; famæque dedit, cùm in Lusitaniã remeare tentassent, à gurgitibus Æthiopici maris submersas. Fortè tamen accidit, ut cùm apud Regem de hujus navigationis difficultate incideret sermo, quidam nauta maritimæ rei satis peritus, sed Regis cõsilii ignarus, asseveraret

qua-

qualicunque navium genere Æthiopiam adiri, indeque tutò reverti posse, seque experimento offerebat; cui Rex subiratus respondit, rem jam antea sæpius frustra tentatam, comprobasse, nequaquam id fieri potuisse; neque tamen mirari se fiduciam vilissimi hominis, quod soleant istiusmodi nebulones ante rem omnia sibi facilia jactare, in ipso autem negotio inertissimi apparere. Nauta ex vultu Regis offensionem conjectans, tacuit; cui Rex postea honorificis verbis publicam injuriam rependit, ac

Quendam naucleru objurgat, quòd parum periculi in navigatione esse asseveratim-prudens.

ac de ſecreto in poſterum ſervando admonuit. Cùm alius quoque nauclerus, duoque nautæ, qui ſæpe Æthiopicum mare navigarant, ad Caſtellam tranſfugiſſent, cupitam omnibus Europæ Principibus navigationem Caſtellanos edocturi, certos homines miſit, qui eos retraherent; ſed quia tres homines captivos ex Caſtella in Luſitaniam conducere erat nimis periculoſum, duobus occiſis, tertium Eboram perduxere; ubi capite damnatus, & in quatuor partes ſectus eſt. Quibus exemplis talia ſeveritatis do-

Nautæ deſertores in Caſtella occidendos curat

cumenta Rex dedit, ut nullibi terrarum quisquis ab ejus indignatione tutum se fore speraret. Attamen non semel expertus est Principes suorum animos ægrè metu devincire, nisi eos simul amore captent.

Legatos ad Regem Britãnia misit.

Inter hæc ad Regis aures pervenit in Britannia, Rege Eduardo inscio, Ducis Medinæ Sidoniæ sumptibus, classem ad invadẽdam Guineam adornari: & ut erat in amputandis nascentis mali radicibus mirè solicitus, ad Eduardum obtentu antiqui fœderis firmandi Rodericum Sousam,

ſam, & Joannem Helviũ miſit, quibus in mandatis dedit, ut claſſis molimen Eduardo indicarēt, ſimulque Luſitaniæ Regum jura ad ſuas acquiſitiones defendendas patefacerent. Legatis benignè exceptis, non ſolùm pacem Eduardus confirmavit, ſed publico edicto cavit, ne quis Britannorũ auderet Guineam, aliamve provinciam Luſitanæ ditioni nuper adjunctam adire. Ita legatione dimiſſâ, aliâ, & ipſâ decorâ, Joanni reſpondit mittens Georgiani ordinis inſigne, quod ipſe quòad vixit, tanquam Eduar-

Qui legationem feliciter obeunt.

di amicitiæ ſignum geſtavit.

Rex à Pontifice Romã in jus vocatur.

Oppidum Abranteſiũ, ubi tunc temporis Joannes degebat, Legatus à Sixto Pontifice Maximo venit, qui Pontificis nomine Joanni denuntiavit, aut ipſe Romam ad cauſam dicendam iret, aut procuratorem mitteret; ei nanque objectabatur Eccleſiaſtica jura ſæpe infregiſſe; quod Cardinalem Georgium Coſtium odio in Joannem motum Sixto ſuggeſſiſſe credebatur. Nã inſpectâ Joannis vitâ, nihil à religione alienum invenitur, niſi quòd ad auxilium

lium ferendum patri Castellano bello oppresso, argenteam supellectilem à Templis mutuatus sit, quã postea integrè restituit. At Joannes de falsa accusatione, deque suis in religionem meritis à Pontifice, malè compensatis apud Legatum vehementer cõquestus, Ferdinandum Silveriam Legatum Romã mittere parat; erat enim Ferdinandus satis idoneus Regis virtutibus, & Georgii calliditati ostendendæ. Quæ cùm Georgio nota fuissent, Joannis causam defendendam suscepit: obsequium in Regem ille

Cognitâ ejus pietate, dicēda causa onere exolvitur.

jactabat; quidam ne per Ferdinandum ejus malevolentia pateret arbitrabātur. Pontifex autem de Joannis pietate certior factus, eum onere dicendæ causæ liberavit, unde Ferdinandus Lusitaniâ non exivit.

Ab externis solutus, domesticis incumbit.

Ab hoc negotio solutus, ad domestica revolvit animum, & cùm magnarū rerum fama peragrādo acquirat vires, præconium Brigantini supplicii in remotioribus Lusitaniæ partibus magis intonuit, & animos vehementiùs terrore perculsit, quos ipse præsentiâ suâ mulcendos arbi-

arbitratus, in Ultramontanam, Berianamque regiones proficiſcitur, ibique urbibus, oppidis, atque etiam pagis luſtratis, impotentiâ optimatum oppreſſos cleméter exaudivit, & ab his injuriis vindicavit; eoque pacto rigorem cum ſuavitate commiſcuit; ut maieſtas, & amor, res ferè ſemper diſſociabiles, in ipſo feliciter convenirent. Hac provinciarũ circuitione frequenter Joannes utebatur, optimè cognoſcens miſerorũ querelas haud facilè ad Regum aures ſincerè devenire, ſi tantùm per interpo-

ſitos

ſitos adminiſtros ad Principes deferantur, ad quos attinet negotia conſiderare prout reapſe ſunt, non autem prout primâ ſpecie apparent. Cùm Rex autúnum provincias frigore inclementes perluſtrando conſumpſiſſet, in urbem Portum hyberno tempore placabiliorem ſe recepit.

Alvarus Portugallenſis in Caſtella ſiſtit.

Dum hæc in Luſitania geruntur, Alvaro Portugallenſi ad Galliam, ut cum Rege pactum erat, pergenti nuntiatur ejus bona judicum ſententiâ fiſco adjudicata; unde cùm Rex pactis non ſtaret, ipſe quoque

quoque in Castellam revertit, ibique constitit, donec Regis Emmanuelis gratiâ in patriam reductus, amissas facultates, pristinumque honorem recepit. Causas, per quas Rex Alvaro promissa non servavit, tradere in promptu non est; quippe nec apud auctores legitur Alvarum post fœdus aliquid pœna dignum patrasse, nec facile credendum est Regem apertè fidem fefellisse; quare satiùs existimavi rē in medio relinquere.

Nova in Regem conjuratio.

Hæc inter nova conjuratio, eaque certior ac periculosior Regem, ac publi-

cam quietem perplurimũ conturbavit, cuius licèt Ducis Viſeenſis ambitio præcipua fuiſſet cauſa, plures tamen aliæ non parva adhibuere fomenta, quas omnes colligere oportet rem integrè narraturum.

Conjurationis cauſa.

Brigantinæ domûs excidium ſicut metum animis intulerat, ita etiam odium regi pepererat, maximè apud Brigantinorũ propinquos, vel ſanguine, vel amicitiâ, quorum præcipuus potentiâ, & auctoritate erat Dux Viſeenſis.

Et auctor.

Hunc multa præterea in apertam à Rege defectionem perpulerunt; primũ

regnandi

regnandi aviditas, deinde iracundia ex Brigantini nece, postremò spes obtinendi à Castellæ Rege auxilium, addita multorum procerum ope, qui tum Joannis odio, tum Jacobi amore commoti, in Regis perniciem, & Ducis incrementa conjurarunt; sed qui primus conspirationẽ suaserit satis non constat. Allectavit etiam juvenem quidam Chaldæorum artis professor, qui ei prædixerat regnum adepturum, genus hominum sperantibus fallax, credẽtibus perniciosum. Hoc autem scelus Scalabi habuisse princi-

pium auctores tradunt. Nec defuere portéta, quæ opinione vulgi futurum, malũ prænuntiarent. Quadam intempestâ nocte Regem lecto quiescentem, magnus strepitus è somno excitavit, atque experrectus, ferrum arripit, & cùm fores cubiculi aperuisset, larvas vidit, sequiturque, usque in fornicem etiam ad lucem solis lugubrem, & subobscurum, ibique, evanuerũt. Cùm aliâ quoque nocte species, & umbra cujusdam defuncti familiaris cùm Rege colloqueretur, credidit postea vulgus Dei jussu conjurationem

Portẽta quæ conjurationem præcesserunt.

tionem Joanni detexisse. Adeò bona opinio de Principe semel concepta valet, ut etiam fortuita in ejus gloriam vertantur. Inter conjuratos Garcias Menesius Episcopus Eborensis cæteros vehementius incitabat propter injurias, quas post Brigantini occisionem Regem sibi fecisse credebat. Ferdinandus verò Menesius Episcopi frater nullam ob aliam causam, quàm Ducis amorem, cujus cliens erat, nomen conjurationi dedit. At Guterrius Coutinius, Ferdinandus Sylverius, Alvarus, ac Petrus Ataidii,

Conjurationis conscii.

Petrus Albuquerquius, & Comes Penamacorius qua de causa in partes venerint, auctores non tradunt. Erat conjuratis consilium Regem interficere sub ejus tyrannidis prætextu, quo infamiam amolituros rebantur, moxque Alfonsum Principem in Visensis potestatem redigere, qui illum, datâ occasione, de medio tolleret, ut successionis jure rerum potiri posset. Tanti facinoris cœptum Guterrius sibi sumpserat. Erat illi frater Vascus Coutinius vir sanè magnis virtutibus ornatus, & qui tunc temporis,

Conjuratoris consilium.

Guterrius Coutinius Vascũ fratrem in partes trahere conatur.

quia

quia Rex ejus merita malè compenſabat, Luſitaniâ abire, & alibi ſecundiorem fortunam quærere, meditabatur. Guterrius ergo inde occaſione fratrem in partes trahendi arreptâ, interrogat *cur ſponte relictâ patriâ, extorris, & exulantium laboribus, ac ærumnis ſeſe objiceret? ſatius eſſe, & ſuæ virtuti convenientius in ipſâ Luſitaniâ acceptas injurias ulciſci, & ſortem in melius mutare*: tum cōjurationem, conjuratoſque aperit, & multa de more ſuadentium promittit, ſi in Regis necem, & Viſeenſis amplificationem conſpiret. Vaſcus ſimulato aſſenſu lætanti ſimilis affirmavit,

Qui aſſenſū ſimulat,

vit, partes conjurationis libenter suscipere, impleturumque audacter. Cui Guterrius credens, eum ad Ducis colloquium introduxit, ex quo omnia explorate cognovit. Mox eventus docuit temerè sperasse Guterrium posse fratrem in tam grave scelus pertrahi aliquâ injuriâ cópulsum, cùm eum satis cognosceret bonæ existimationis cupidissimum, soleantque honesti nominis amantes honorem præ omnibus amare. Nec deerunt qui judicent generosius sinceriusque facturũ Vascum, si cùm Guterrius
eum

eum ad exuendam fidem provocare ausus fuerit, talem audaciam statim ferro puniisset; quàm vel paulisper se Regis sui proditorem simularet.

Dum conjurati rem maturare curabant, primum conjurationis indicium ad Regem hoc modo delatũ est. Erat Episcopo consuetudo cum quadam muliercula, cujus frater Jacobus Tinocus, cùm sororis corpore quæstum faceret, & inter familiares intimus Episcopo esset, subodoratus conjurationem, ad pernoscendũ negotium animum intendit, cui tandem

Iacobus Tinocus conjurationis index.

Episcopus concubinæ amore obcæcatus, omnia detexit. Ipse seu præmii avidus, seu ducente Numine, Antonium de Faria adiit, conjurationemque patefecit: sæpe divinâ providentiâ disponente, ut eadem peccati instrumenta, etiam pœnæ sint. At Antonius sine mora detulit negotium Regi; qui ut meliùs ex ipso Tinoco rẽ intelligeret, illum clam audivit, & promissorum plenum dimisit. Sed quia unus tantùm delator plenam fidem non faciebat, placuit nihil in conjuratos tentare, donec legitimè

mè delicti convinci possent.

Brevi temporis intervallo Vascus Coutinius Tinoci delationem auxit, & conjurationem plenè probavit, conjuratorumque nomina, ac consilia Regi aperuit luculenter. Tunc Rex animi securitatem simulare, celare timorem, invitare Ducem ad convivium tempestivum, vitare publicos egressus, eaque, quæ palam fiebant, solito tenore agere; clam verò periculum cavere, prætorianis præstò stare jussis, atque etiam equitibus levis armaturæ,

Vascus Coutinius Tinoci indicium confirmat.

quos post Brigantini mortem in corporis custodiam legerat, ipsisque præfecerat Martinum Mascarenium virum exploratæ fidei, & animi robore perquam validum. Hoc modo expectabat temporis opportunitatem, quâ conjuratos securiùs capere posset. Interea ipsi ita invigilabant occasioni destinata conficiendi, ut Regem scalas palatii ascendentem Petrus Ataidius Guterrio comitante prosternere intenderit, quod cùm Rex sensisset; ecquid ageret interritus Petrum interrogat; cui ille, labi res-

respondit. Tum Rex: *Cave ergo ne cadas*. Iterum Regem prope quoddam sacellum Cetobricæ spatiantem,& tunc fortè ab stipatoribus longiùs remotum invadere conati sunt. At ipse eorum consilio intellecto, terga ædiculæ pariete protexit, frontem in eos adeò intrepidè constáterque direxit, ut maiestatis splendore, tanquam Solis radiis ad nefarium facinus intentos repercusserit; & quanvis ita à natura comparatum sit, ut præsétiæ Principum talis veneratio insit, ut si eos propiùs inspicias, violare non

Rex magna pericula semel, atque iterum evadit.

audeas; multum tamen juvit Joannis constantia ad prohibendum impios perditorum conatus. Sed cùm hoc periculum evasisset, in aliud mox casurus foret, quod quidem vitare neutiquam posset, ni per Vascum certior fieret, cõjuratis animum esse à Salacia revertentem cùm Cetobricæ littore è liburnicâ descenderet, armis aggredi: de quo admonitus comitante Prætorianorum cohorte, & equitibus levis armaturæ, terrestre iter fecit.

Viseensis cõjuratos ad perpetrandũ facinus per literas urget.

Viseensis tot conatibus frustratis, Palmellam, ubi tunc

tunc temporis ejus mater degebat, adiit; inde conjuratos ad peragenda ea in quæ convenerant, eorum ſegnitiem literis exprobãdo, impenſè ſolicitabat. *Secretum* aiebat *male à multis diu ſervari, quo detecto, certam ipſis ultimam perniciem eſſe, nec periculum in exequendis deſtinatis, ipſos horrere debere, quando in illis differendis maius diſcrimen emineat, imò imminentia pericula non niſi magnis periculis vitari poſſe, atque in deſperatis rebus temeritatem tanquam prudentiam exiſtimari, proinde ſi ſalvi eſſe vellent, communem inimicum de medio tollere ultra ne differant.* Quibus ipſi ad turpe facinus conficiendum vehementiùs incitati, primam, quæ daretur occaſio,

ſio, impigrè arripere ſtatuerunt, atque Alvarum Ataidiũ Scalabim mittere, ut quum primum Regem occiſum fuiſſe audiſſet, Joannam Henrici Caſtellæ Regis filiam in conjuratorum poteſtatem redigeret, quò Reges Caſtellæ in auxilium promptiores haberent. Sed illi ad Granatenſe bellum intenti, quamvis Luſitanis motibus lætabãtur, iis tamen ſe implicare noluerunt.

Rex Viſeenſem ſua manu interficere ſtatuit.

Interim Joannes Rex tam nefario crimini abundè jam comprobato, ultionem ampliùs differre ſibi periculoſum ducens, ſuâ ipſius

ipſius manu Viſeenſem, interficere decrevit, atque aliud negotium cauſatus, eum ex Palmella evocavit. At ipſe, quia dominãdi libido cæteris animi affectibus validior eſt, non ferens hanc cupiditatem exuere ut vitæ conſuleret, maluit ſe in diſcrimen dare, quod ex Regis evocatione facilè conjectare poterat, quàm fugiendo regnãdi ſpem omnino amittere. Rex autem tres equites animi præſtantiâ validos in conſcientiam aſciverat, Petrum ſcilicet Deſſam, Jacobum Azumbujẽſem, & Petrum Mendeſiũ,

& in abdito cubiculi, in quod Ducem vocaverat, collocavit, ut eum, si fortè egredi tentaret, exitu prohiberent. Ibi appetente nocte, introeunti Viseensi, hilaris, aut quod inter instantes curas æquè magnum est, hilari similis ait. *Ecquid tu, patruelis, de eo decreturus fores, qui te occidere meditaretur?* Cui Dux aliquantulùm territus respondit. *Eum occupare tentarem*. Tunc Rex. *Tu te judicasti*, & stricto pugione, illum non paucis ictibus confodit.

Ipsis in Aula cubiculo pugione interimit.

Mansit totâ nocte per Cetobricam horror, occupati

Ex Viseensis morte publica c[...]natio.

pati militibus muri, clausæ portæ, septæ armatis viæ, audita præconia, quæ præmium, vel pœnam tradentibus, aut occultantibus conjuratos denuntiabant; populus primo cædis rumore ad Regiam accurrens reorum ignarus in proditores pœnas indistinctè petebat, augente insuper tumultum nocte subobscurâ. Et erat ipsa Regia spectaculo horribilis. Manabat regio cubiculo cruor paulo ante Principis nobilitatis viri, visebantur duplicatæ prætorianæ cohortes adstantes; aulici de salute Regis soliciti ad eũ

visendum undique advolabant; cæteri nobilium rei atrocitate attoniti, quid agere oporteret, nesciebãt; & quos] in tanta consternatione sensus non deseruit, judicabant solum Viseensem perire non posse, ob idque propinquis, aut amicis unà perituris timebant.

Viseensis corpus ante lucem ad maximam sacrarum ædium advectũ fuit; ibique sine funebri pompa usque ad vesperam insepultum jacuit, ut supplicium omnibus notesceret. Dein, ut cædis causa nota foret, Vascus, & Tinocus

indices

indices coram judice conjurationem jurejurãdo detulerunt; Rex quoque ex judiciorum formula declaravit causas peractæ cædis; postremò judicum sentẽtiâ Viseensem læsæ maiestatis reum, ac jure interfectum fuisse pronuntiatum est. Comprobarunt insuper crimen confessiones conjuratorum, quos inter Ferdinandus Menesius Regis clementiam sprevit, nam exutâ reverentiâ adroganti oratione maledicere Regi palam, ac coram ausus est; cui ipse nihil respondens, causam ad senatum demisit, qui

Iudicũ sententiâ reus maiestatis habetur.

Ferdinandum, Petrum Ataidium, & Petrum Albuquerquium capite plectēdos censuit, & paucis post diebus in foro Cetobricæ securi percussi sunt, præcone nefarium facinus denuntiante. Vascus à Rege Guterrii fratris mortem deprecatus erat, attamen in Aviseense Castellum detrusus, brevì extinctus fuit, non sine veneni suspicione. Alvarus Ataidius, Ferdinādusque Sylverius periculum evasere, ille festinatâ fugâ, hic famuli fide, quem nec spes promissi præmii, nec timor denuntiatæ pœnæ frangere po-

Cæteri conjurati capite puniuntur.

Aliqui pœnam evadūt

potuerunt. Sed ipsi diversum finem sortiti sunt. Nã Alvarus Joanni Regi superstes, à Rege Emmanuele in patriam revocatus fuit, & in pristinum statũ restitutus; ex quo, hodieque illustris propago extat. Ferdinandus verò in Gallia exulans, Joannis jussu interfectus est, cujus necem Rex forsan impensiùs solicitavit; quòd veritus ne secretiora ejus cõsilia, quorũ particeps Ferdinandus fuerat, detegeret, insitâ Principibus naturâ, ut quantò plus ad eorum fiduciam quis accesserit, tantò magis, si in offen-

sensionem evadat, ad diffidentiam deveniat.

Episcopus Eborensis in carcerem detruditur.

Eo tempore, quo Dux Viseensis necatus fuit, Episcopus Eborensis cum Regina colloquebatur, quem Ferdinandus Mascarenius Regis nomine seorsum evocavit, ac cubiculo egressum, & militum globo circumdatum Palmellam duxit, ibique in asperrimum carcerem cōpegit, ubi non amplius quàm trium dierum spatium vixit veneno interemptum divulgante famâ. Comes Pēnamacorius in ejus oppidi arcem aufugit, atque eo se tutari est

aufus,

ausus, dum Catharina Costia Georgii Cardinalis soror, & fratris ipsius Comitis uxor in oppido Sabugalio inscio marito arma capere, & militem legere cœpit. Quod matronæ cõsilium, ut omnium animi commoti erant, multum publicis rebus nocere poterat, ni Rex eam celeritate occuparet, nam auditâ defectione, Sabugalium collecto raptim exercitu adivit, præmisso Petro Noronio, cui Catharina desperatâ defensione oppidũ tradidit, eo tamen pacto, ut sibi mariti bona quòad viveret cõcederentur. Co-

Catharina Costia militem cõscribere curat.

Comiti Penamacoris Lusitaniâ abire conceditur.

miti insuper concessum fuit, ut in itinere cum Rege colloqui tutò posset; ex quo tamen colloquio nihil aliud obtinuit, quàm facultatem è Lusitania cũ uxore, ac liberis abeundi, & post multam peregrinationem in Regis odium factam in Castella obiit.

De Viseensis morte judicia.

Hic finis conjuratorũ fuit, qui quanquam omnes justè pœnas luerunt, attamen de Viseensis nece auctores variè senserunt: quidam, *indignè carnificis ministerium á Rege usurpatum, & Ducem, quia inauditum, tanquam innocentem periisse, ac quod supra omnem crudelitatis modum esset, denegatum adolescenti propinquâ cognatione*

con-

cõjuncto, de animæ salute curare: Alii *pro Regis ac Reipublicæ periculo vitando omnia licere, & satis comperto crimine parvi momenti esse quæstionis formulas non servare; Ducem nimia auctoritate, multisque factatoribus pollere, qui nisi tali ductore raptim privati forent, ægre subigi possent.* De Episcopi comprehensione hominum quoque diversa opinio fuit. Existimabant aliqui *Regibus in sacerdotes nullam potestatem esse, ac proinde Joãnem reum esse pœnarum, quæ à Pontificibus Maximis propositæ sunt adversus Ecclesiæ immunitatem violantes.* Nonnulli contrà, *Cuique vim vi repellere licere, nec Joannem jurisdictionem Ecclesiæ violasse, dum proprium periculum custodia Episcopi vitat. Præterquam quod credibile esse nihil aliud in Episcopum Re-*

 gem

gem tentaturum absque Maximi Pontificis facultate.

Rex conjurationis indices præmiis afficit.

Proditorum pœnas sequuta sunt præmia delatorum; Coutiniũ dominio oppidi Borbæ cũ redditibus, ac regiâ jurisdictione, Rex auxit; Tinocum mille & quingentis aureis annuis præter quinque millia præsenti pecuniâ numerata donavit. At properata Tinoci mors donationem frustravit, quod, divino Numine disponente, accidisse jactabant, qui à Rege erant alieni.

Oppressâ conjuratione voluit Rex prudẽtissimus æquè severitate ac clemẽ-

tiâ se præditum esse ostendere, gnarus his duobus cardinibus imperandi rationem optimè librari; idcirco Emmanueli Viseensis fratri omnia bona, quæ Ducis interfecti fuerant, & fisco adscripta erant, liberaliter dedit, addito regimine equestris Ordinis Jesu Christi; attamen oppida Mauram, & Serpam, Castellæ finitima pro aliis in medio Lusitaniæ sitis commutavit; adeò enim futura prævidebat, ut noluerit arces Castellæ propinquas dare in potestatem illius, qui si aliquando Castellanorum amici-

Viseensis bona Emmanueli fratri largitur Rex

tiæ adhæsisset, Lusitanis Regibus magno nocuméto esse posset. Voluit etiam Emmanuelem Pacis Augustæ Ducem, non Visensem appellari, ut defuncti Ducis memoriam penitus aboleret. Qui Lusitanos annales intétiùs evolverit, facilè cognoscet, non aliis in rebus occultius esse Dei judiciũ, quàm in tribuendis sceptris; nam alii omnes Regni hæredes potiùs hominum opinione destinabantur, quàm Emmanuel, quem futurũ Principem divina providentia designabat.

Cæterùm Reges Castel-

læ cùm Brigantinis adeò arctâ necessitudine conjûcti essent, & tot nominibus ad eorum restitutionem solicitandam se obligatos agnoscerent, urgente insuper cupiditate abolendæ infamiæ ob segnitiam, quâ se in protegendo Ferdinando Duce gesserant, Episcopum Cordubensem, & Gasparem Fabrum ad Joannem Regem legarunt cum mandatis, ut pro Brigantinis restituendis apud Joannem impensè adniterentur. Ii autem Joannem Castellobráci febri laborantem invenerunt, sed brevì refocillatus

Rex Castellæ de restituendis Brigantinis per legatos agit, sed eorum restitutionē non obtinet.

tus

tus eos ingratâ respõsione dimisit, ac statim per aliú legatum Castellæ Regibus exposuit eum esse in præsentia Lusitaniæ statum, ut nihil aliud foret Brigantinos admittere, quàm januam novis perturbationibus patefacere: dicebat quoque ad ipsos attinere, communibus nepotibus (nam Alfonsus Joannis filius Mariæ filiæ Ferdinandi destinatus erat) tam opulenta dominia tuta atque imperturbata conservare. Ex quibus intellectâ abunde Joannis mente, nihil amplius de hoc negotio Ferdinandus agitavit.

At

At Joannes ne videretur Brigantinam gentem, nullo facto discrimine, odio persequi, sed unumquenque pro meritis habere, Alfonsum Portugalensem nothum filium Marchionis Valentiæ, ac primi Brigantini Ducis nepotem, ad Eborensem Pontificatum elegit; quod quidem nobilitati admodum gratum fuit, etenim uno Brigantinorum ad Regis gratiam evecto, cæteris illius familiæ propinquis, & clientibus manebat spes ejusdem gratiæ promerendæ.

Alfõsus Portugalẽsis ad Eborensẽ Episcopatum destinatur.

Vix conjurationis perturbatio sedata erat, quum

alia nova occaſio ſeſe obtulit Regi, quâ publicæ ſalutis ſolicitudinem laudabiliter exercuit. Nam cùm eodem tempore peſtilentia, præcipuè in regione Tranſtagana multos mortales corripere cœpiſſet, incredibile dictu eſt, quali pietate publicis ſupplicationibus irati Numinis miſericordiam imploraverit, quantâque liberalitate in ſublevandis miſeris pecuniam erogaverit; donec extinctâ peſtilentiâ, ad alias regiminis curas animum intendere licuit: inter quas præcipua fuit augendi commercii, ut qui bene

De extinguenda peſtilentia Rex mirificè curat.

bene noverat non aliter quàm à civium opulentia Reges opulentos fieri. Igitur moderatione portoriorum, & exactorum suavitate, adeò mercium commutatio Ulyssipone crevit, ut tunc temporis hæc urbs celeberrimum emporium fuerit.

Commercia auget.

Insuper ut caveret, ne exteri negotiatores aurũ, & argentum è Lusitania extraherent, auream monetam cudit sexcentorum quadrantium pretium maius solito habentem, in cujus altera facie Regum Lusitanorum stemma erat, altera Regis ipsius species

Monetam cudere jubet.

ſceptro,& coronâ inſignita, additâ inſcriptione ex Davidici Pſalmi verſiculo deſumptâ: *Juſtus ut palma florebit*; indeque illi monetæ Juſti nomen manſit;atque huic addidit alias minoris pretii,tam aureas, quàm argēteas, ut frequentiori rerū commutationi uſui forēt.

Regium ſtēma compo-nit.

Præterea Regium ſtemma eo ordine, & formâ compoſuit, quo hodieque durat. Ad hæc ditionum titulos auxit; primus nanque ſe Guineæ Dominum appellari voluit; quia ejus regionis dominium incolarum conſenſu juſtè poſſedit.Cùm Cetobricæ Rex ageret,

ageret, de Sixti Pontificis Maximi obitu, deque Innocentii nomine VIII. ad ſummum Pontificatum aſcenſu nuntium accepit, & ut obſervantiam, ac pietatem in Divi Petri ſucceſſorem oſtenderet, Petrum Noronium regiæ domûs Præfectum, ac Vaſcum Ferdinandum Lucenam in tribunali juſdicentium Senatorem Romam legatos miſit, ut Regis nomine debitam obedientiã Innocentio Pontifici, tanquam Chriſti in terris Vicario, præſtarent. Legatis Rodericum de Pina juriſconſultum adjunxit, ut

Innocentiũ VIII Summum Pontificem per legatos ſalutat.

ipſis à ſecretis foret, ſumptuſque ac comitatum tanti Regis perſonam ſuſtinentibus idoneum attribuit. Solenne illis temporibus erat legationes nó ſolùm primæ nobilitatis viris, publiciſque in rebus verſatis credere, ſed etiam juris profeſſoribus; qui quidem mos noſtrâ hac ætate immeritò quidem abolevit. Nam ſæpe legatorum provinciam ſuſcipientibus negotia occurrunt, quæ juris peritorum conſilio magnopere indigent, unde frequenter evenit, matrimonia, fœdera, aliaque iſtiuſmodi abſ-
que

que neceſſaria cautione à legatis agi, quorum defectu magnum poſtea Principibus detrimentũ enaſcitur. Noronio in mandatis dedit, ut à Pontifice impetrare curaret diploma, quod Cruciatũ vocatur, ad belli Africani ſubſidiũ. Hoc autem Regis conſilium additâ etiam belli præparatione, tantum terroris Mauris incuſſit, ut urbis Azamorii cives Regi legatos ſtatim mitterẽt, qui ei ipſam urbem honeſtis conditionibus dederẽt. Tam fauſtum initium bellum paranti ingentes animos fecit, eòque Rex acri-

Belli in Mauros præparatio.

Cujus famâ urbs Azamorium deditur Regi.

ter

ter intentus arma coemit, quæ per Cives diſtribuit, conceſſo pro cujuſque facultatibus ſpatio ad pretiū commodè ſolvendum, idque, rogantis magis ſpecie, quàm jubentis, ſuaviter exegit, gnarus nulla edicta validiora eſſe apud populares, quàm chari Principis voluntatem.

Chriſtophori Columbi in Luſitania adventus.

Eâdem tempeſtate Chriſtophorus Columbus Genuenſis rei maritimæ apprimè callens in Luſitaniā venit, operamque ſuam Regi obtulit ad detegēdas novas terrarū plagas. Qua de re, conſultis priùs Joſepho, ac Roderico Coſmographiæ

graphiæ peritiſſimis, & enixè improbantibus, cum Regni optimatibus agere Rex voluit, quibus injunxit ut ipſi quoque maturé conſiderarent, an inſiſtēdum eſſet in aperiendis ad Orientem viis; ex quibus Tingitanus Epiſcopus Jacobus Ortiſius natione Caſtellanus, ac Regis conſcientiæ moderator, talem ſententiam protuliſſe fertur.

Qui ſe Regi offert ad ignotas Provincias inveniendas.

De hac re conſiliũ Rex ſuſcipit.

Iacobi Ortiſii oratio.

Antequam de rebus arduis, & ad bonum publicum ſpectantibus conſilium capiatur, æquâ lance examinandum eſt, quid juſtius, quid glorioſius, quid utilius erit; nam ſi unumquodque horum in conſultationibus omittitur, integrum judicium non eſt.

 At

At hercule, omnia, ni fallor, in Christophori conatu evidenter desunt, atque etiam in sententia novas regiones scrutandi. Quo enim jure Regnum finitimorum hostium incursionibus obnoxium juventutis flore, opibusque orbabimus, ut vanâ spe alienas divitias cõparandi, tot viros, tot opes ignoto ac procelloso mari crèdamus? Deinde quam gloriã referemus, si relicto Africano bello, & quasi formidantes, illos bellatores armis præstantes, Christianoque nomini infensos, & olim nostræ Hispaniæ vastatores imbellibus, & innocuis gentibus bellum inferemus? Qua denique ratione utilitatem inveniemus, si præsenti, ac certo hominum, navium, & opũ dispendio, futuros, ac multum dubios proventus conquiremus? At contra, omnia quæ in justis, gloriosis, ac proficuis expeditionibus requiruntur, Africa nobis offert; sunt enim (ut dixi) Afri nostræ Religionis insectatores

ſtatores acerrimi, bello præſtantes, & fertilis, divitiſque regionis longè latèque patentis dominatores. Et idcirco Luſitani Reges tanquam pro regni inſtituto, bellum cum hac natione perpetuò, & egregiè quidem geſſerunt. Quare ſi meâ ſententiâ ſtandum ſit, maiorum veſtigiis inhærere, Africanis expeditionibus incumbere, & præſentes hoſce inanes conatus penitus omittere debemus.

Petri Noronii oratio.

Petrus Noronius Villæ Regalis Comes in hunc quaſi modum cōtra exorſus dicitur. *Nullum inſtitutum Imperiis perpetuô obſervandum eſt; imó pro mutatione rerum, conſilium quoque mutare oportet. Dum Arabes Hiſpaniam ſubigebant, totis viribus elaborandum erat, ut ipſos noſtris ſedibus pelleremus: at nunc ejectis ultra mare barbaris, ſecuritatis noſtræ cura poſcebat, ut portus, ex quibus illa barbaro-*

rum colluvio mare olim trajecit, sedulò occuparemus, ne iterum nobis bellum intra fines nostros inferre valerent. Nunc autem totâ pene Hispaniâ barbaro jugo liberatâ, & Africæ portubus in nostram potestatem redactis, ad alia, & clariora facta laudabilis famæ cupido, & veræ religionis amor nos vehementer hortatur. Et quando Christophori conatus tanquam dubii admittendi non sunt, quid satis causæ erit, ut expeditiones in Orientem tam feliciter cœptas deferamus? Et sanè cùm toties Europæ, Africæque gentes vicerimus, hoc unum nobis restat ad summam gloriæ, ut Asiaticos quoque vincamus. Satis experientia nos edocuit, Africanos adeò indociles esse ad Christianam religionem accipiendam, ut omnis labor ibi frustra insudetur. Quærendæ sunt ergo aliæ nationes, quas ad Christi gregem adjungere possimus. Spero equidem omnes

nos-

vos in meam ſententiam ituros, ſi inclytum Luſitanorum nomen vobis ante oculos obverſetur, ſi bene perpenderitis qualem gloriam aſſequemur, ſi tot gentes divini Numinis ignaras, de vera religione erudiemus; ſi mare ab orbe condito inaratum navigabile fecerimus; quantam utilitatem comparabimus, ſi Aſiæ commercio fuerimus potiti. Contra, quam turpem ignominiam nobis inuremus, ſi ſuſceptis expeditionibus, & feliciter quidem inchoatis, non inſiſtimus; nam ſicut in magnis etiam voluiſſe eſt glorioſum; ita à ſemel inſtitutis cùm nulla juſta ſubeſt cauſa, abſtinere, turpiſſimum judicatur. Nec eſt quod ob finitimi belli timorem ab incœptis deſiſtamus; namque nos inter, & Caſtellanos mutua utilitas pacem firmabit, & ſi aliquando bellum ingruat, non parum juvabit ad belli impenſas opulentum Orientis commercium. Itaque niſi meum ju-

dicium fallitur, ignotas regiones explorare, barbaras gentes ad Christi religionem traducere, ignotum mare navigare, fructuosum commercium stabilire, justum gloriosum, utileque consilium erit. Villæregalis sententiam, quam præter rationis momenta, ipsius etiam hominis auctoritas eximia multò magis persuasibilem efficiebat, frequens senatus, ac Rex ipse amplexus est.

Christophori opera à Castellanis accipitur.

At Christophorus rejectis, quæ offerebat, Castellam eadem oblaturus adiit, ubi à Rege Ferdinando benignè auditus, fideque habitâ, navigiis, nauticoque, & militari apparatu instructus, ditissimam

Ame-

Americæ partem detexit ita Divino Numine dispo- nente, ut nobis difficiles, gloriosæque expeditiones, Castellanis faciles utilesque contingerent.

Et America detegitur.

Cæterùm Joannes explorandæ Guineæ vehementiore cupiditate intẽtus, duas classes adornare jussit, quibus Jacobum Canum, & Alfonsum Aviariensem ad rem perficiendam idoneos præposuit, quorum primus ad Minam vela faciens, postquam ultra metas hactenus à nostris positas processit, ad ostium fluminis pervenit, quod Zaire ab accolis

Exploranda Guinea intendit animum Ioannes.

Zaire fluvius.

accolis appellatur, & tanto aquarum pondere, impetuque in Oceanum evolvitur, ut per octoginta millia passuum medium mare findens, sinceram, & dulcem aquam navigantibus præbeat. Ejus in ostio columnam Jacobus collocavit Crucis figurâ, & regio stemmate insignitam, tanquam Lusitanæ ditionis testem, inscriptis insuper literis, quæ Lusitanico, Latino, & Arabico sermone significabant, quo Rege, quo Duce, & quo tempore illud terrarum spatium apertum fuerit. Dein adverso flumine subvectus,

vectus, passim videt Æthiopû catervas, qui quanvis essent, ut cæteri, vagi, & inculti, adeò tamen mitiores erant, ut levibus munusculis invitati, mirâ securitate ignotis se advenis crederent, navesque sine ullo timore conscenderēt. Sed cùm inter nostrates nullus esset, qui gentis sermonem intelligeret, nutibus ad colloquium opus fuit; quibus haud difficilè cognitum est, Regem toti regioni imperantem multorum dierum itinere introrsus abesse. Quo intellecto, statim Canus è suis aliquos, indigenis ducentibus,

Æthiopum securitas, & simplicitas.

Exploratores mittit Dux, qui interiora inspicerent.

tibus, ad regiam mittit, quo ſingula, quæ ſcire cupiebat, penitiùs exploraret. Verùm hos diu fruſtra præſtolatus, regredi in Luſitaniam decrevit, & ſuorum ſecuritati conſulens, totidem Æthiopes nobilioris indolis obſidum loco in Luſitaniam aſportat, perſanctè pollicitus quintadecimâ lunâ (hæc illis tẽporis menſura eſt) ſe illos patriis laribus redditurũ, eoſque inter navigandum Canus Regi obſequendi cupiditate, quæ validior præceptis eſt, ita Luſitano ſermone inſtruxit, ut cùm Luſitaniam appulerint, de Regno

Et in Luſitaniam redit cum obſidibus.

Regno Congi (ita hæc regio appellata fuit) de gente, inſtitutis, cæteriſque ad religionis cognitionem neceſſariis, ſatis commodè explicarent. Joannes Æthiopum adventu mirum in modum lætatus fuit, & Cano pro re fortiter, prudenterque acta, gratiam retulit, hoſpitibus interim benignè, & lautè tractari juſſis. Et poſtquam ex ipſis multa per otium quæſivit, ſtatuto tẽpore, Cano mãdat, ut eos in patriam reportet, mittitque munus barbaro Principi gratum, addito ut ipſe Canus ad Regiã proficiſcatur, acer-

Congi regnũ

Ioannes Æthiopum adventu mirificè lætatur.

rimèque nitatur barbarũ Regem ad Chriſtianam religionem pellicere.

Redit in Cõgum Canus.

Igitur cùm primùm tẽpeſtas navigandi apta contigit, ſtatim Canus Æthiopes in Congum refert, & cum obſidibus religioſè commutat, ac ne adverſis ventis interceptus ulterius progredi prohiberetur, continuato curſu ſexcenta ultra milliaria navigavit, duaſque columnas ſupra memoratæ formæ duobus in locis ponit; indeque ad Congum reverſus, & à barbaris miro cum gaudio acceptus, ad Regem cum muneribus, & magno

magno comitatu proficiſcitur. Rex utpote qui à ſuis audierat Luſitanum Regem inſigni comitate, & munificentiâ in ſuos uſum fuiſſe, ſingulari etiã benevolentiâ Canum accepit. At ipſe quávis militaris homo, & bello magis quàm literis peritus, primã quæ ſe dedit occaſio, de rebus divinis differẽdi ſolerter arripuit, Regemque de inanibus Diis, ac de uno vero Deo Cæli, terræque conditore diſertè admonuit; unde poſtea ingentes fructus Chriſtianæ religioni ubertim provenerunt. Et Rex ipſe Divino

A Rege benigne acceptus eum in verinuminis cognitionem inducere tentat.

Numine afflatus, & Cani persuasionibus inductus, falsitatem avitæ superstitionis, atque Christianæ doctrinæ rationē cognoscere incipiebat. Sed quia barbarum non præteribat, quàm periculosa sit Principi subita veteris religionis mutatio, censuit expeditiùs fore rem suaviter agere, suorum animos pedetentim in eundem animi sensum pertrahendo; & quia Cano reversionis tempus instabat, proficiscenti pueros nobiles tradidit præficiens illis Zacutam, unum ex eis, qui nuper ex Lusitania remeaverant,

Rex Christianam religionem amplecti vult, sed differt.

rant, cui in mandatis dedit, ut suo nomine Joanni maximas gratias ageret, pro summa benevolentia in se exercita; deinde ab eo enixè peteret, ut ipsum Zacutam, & cæteros comites lustrali aquâ expiatos, & Christianis præceptionibus instructos, cum piis, verique Dei sacerdotibus in Congum remittere vellet, quibus addidit, pro munere magnam vim eboris, multamque vestem è palmarum foliis miro artificio contextam; cujus legationis eventum in tẽpore reddemus.

Legationem & munera ad Ioannem cũ Cano mittit,

Dum hæc in Congo age-

Beniense regnũ ab Alfonso Avariensi detegitur.

agebantur, Alfonsus Avariensis, de quo supra retulimus, Beniense regnum quoque detexit inter Cõgum, & Minam situm: cũque Regulo pacem, fœdusque sancivit: sed cùm experimentis postea cognitũ fuisset incolas adeò avitæ superstitionis tenaces esse, ut gentilitios ritus exuere noluerint, & ideo præcipuam nostrorum Regum curam in iis laboribus frustra omnino esse, regnante in Lusitania Joanne hujus nominis tertio, commerciũ illud penitus frequentari desitum.

Neque his quiescebat excelsus

excelſus Joannis animus, imò indies ad detegendũ Orientem intentior, tres naves nautis, epibatiſque optimè inſtructas Bartholomæo Diaſio interrito duci tradidit; qui poſt multos exhauſtos labores, & adverſas tempeſtates promontorium invenit, quod propter nimias procellas, quibus hoc in mari navigia jactantur, Torm̃etorium appellatum eſt; tormenta enim Luſitano ſermone adverſam tempeſtatem ſignificat. Quinimò Rex, hoc formidabili promontorio detecto, in ſpem Orientalium rerum

Promontorium, quod caput Bonæ Spei nuncupatur, à Bartholomæo Diaſio inventum.

potiundi erectus, illud Bonæ-Spei caput appellari voluit; quod situm est triginta quatuor gradibus, trigintaque minutis adversus Antarcticum polum, & decies centena milliaria ultra Cani metas.

Abexinorũ regions detegenda etiã incũbit Rex

Nec minori curâ Rex Abexinorum regionem in Æthiopia Orientali sitam terrestri itinere detegere solicitabat. Vulgabat quippe fama Abexinum Imperatorem Christianũ, ejusque Imperium vastissimum esse. Atque ut erat magnarum rerum cupiditate flagrans, grandem pecuniam hac in re consumpsit;

ſumpſit; nam cùm antea Antonium Ulyſſiponenſem ex Divi Franciſci ſodalitio, & Joannem Monteroium miſiſſet, qui iter illud perficere non valuerunt; iterum Petrum Covilianum, & Alfonſum Paivam, utrunque externis moribus, linguiſque bene inſtructum, idem negotium ſuſcipere jubet. At illi Neapolim tranſgreſſi, ad Rhodum inſulam appulere, ubi à quibuſdam Hieroſolymitani ordinis equitibus natione Luſitanis liberali hoſpitio excepti Alexandriá proficiſcuntur. Inde Alfonſus in

Petro Coviliano, & Alfonſo Paiva negotiū mādat.

in Æthiopiam, Petrus in Indiam iter susceperunt, eo pacto, ut Cairum, Ægypti urbem, ad constitutam diem ambo convenirent; quorum ille mare rubrum Ademum usque, navigavit; ad quam urbem appulsus, sine mora iterũ Indiam versus se mari credidit, ac visis Cananorio Calecutio, & Goâ Indiæ celeberrimis emporiis, Sofalam, regionem auri metallis ditissimam in Orientali Æthiopia sitam, venit, unde Ademum reversus, Cairum se ad constitutum contulit: Sed cùm ibi cōperisset Petrum vitâ functum,

Petrus non confecto itinere moritur

ctum, Rabinum, & Josephum gente Hebræos offendit, quos Joannes ipsũ Alfonsum sequi jusserat, cum mandatis, ut Alfonsus priusquam Abexinum Imperatorem inveniat, in Lusitaniam neutiquam revertatur. Unde accidit, ut vivente adhuc Joanne, unus Josephus cum Æthiopiæ notitia, quam ab Alfonso acceperat, in Lusitaniam redierit.

Idem tempus duo exẽpla præbuit insignia ambo, fide, atque perfidiâ. Primum protulit Rodericus Pereira Brigãtinæ domûs familiaris, qui patronorũ

Roderici Pereria fides in Brigantinos.

ſortem induerat. Is à Jacobo in Caſtella exulante, epiſtolarum faſciculum ad Eliſabetham ejus matrem portabat; & quanquam mutato habitu, noctuque per invia in Luſitaniam intraſſet; adeò tamen acribus cuſtodiis ſepſerat omnes vias Rex ad intercludendum inter matrem, liberoſque commercium, ut ſtatim detectus, ad Regemque perductus ſit. At ipſe antequam ad Regem perveniret, epiſtolas, nullo eas tegendi alio modo invento, devoravit. Sed quantò magis ſecretũ ſervare curavit, tantò plus ſe

Regis ſuſpicioni expoſuit. Nam apud ſuſpicacem Principem perinde eſt ſecretum celare, ac crimina patefacere. Igitur cœptâ quæſtione, nec tormenta non ſemel perpeſſa, nec munera iterum, atque iterum oblata, ex fido conſtantique animo indicium extorquere potuerunt.

Longè aliter ſe habuit Joannes Agualdus cum Petro Soto-maiorio Comitis Caminea filio, & in Gallæcia nato. Nam vel cupiditate placendi Regi ad ſuſcipiones prono, vel in Soto-maiorem odio cõmotus, ad Joannem clam

Ioannes Agualdus Petrum Soto-maioriũ falsò accuſat.

detulit

detulit Soto-maiorẽ ipsiusmet Regis occidẽdi animo ex Castella in Lusitaniam venisse; quod indicium sufficere visum est ad quæstionem habendã. In qua ipse dira ac repetita tormenta adeò constanter tulit, ut nullis cruciatibus compelli potuerit ad ea fatenda, quæ nunquam agitaverat; quod sæpe illis accidit, quos magis præsentes dolores, quàm futura infamia premũt. Ipsa autem Soto-maiorii constantia in perniciem accusatoris vertit; quippe cùm de ejus fide dubitaretur, ob idque tortus fuisset, vilis

lis,ac perfidus animus tormenta ferre non valuit, & planè confeſſus eſt falſò Soto-maiorium ſe accuſaſſe; unde Scalabi in quatuor partes ſectus eſt, & mox Soto-maiorius ad priſtinos honores, Regiſque gratiam reſtitutus fuit. Cujus rei eventus optimè edocet, Principes ad credẽdas accuſationes non faciles eſſe oportere.

Nec tam gravibus diſtentus negotiis, boni publici curam omittebat; nãque eâdem tempeſtate legem condidit, qua nimios ſumptus, ſericas veſtes, & alios muliebres ornatus viris

Lex ſumptuaria.

ris prohibuit; fœminis sericâ veste uti cum moderatione côcessit. Quæ quidem lex, ut fermè omnes, variè interpretata est; qui luxum, ac profusionem amabant: *Non eadem omnibus temporibus congruere: nascente Lusitaniæ regno, parvas civium facultates, & tunc moderandos sumptus fuisse, postea adultis cũ Imperio opibus, ejusdem incrementi mensurâ dilargiri proprios redditus cuique licere; nec splendorem regni tam arctâ parcimoniâ haberi posse, nullumque discrimen inter nobilitatem, plebemque esse, nisi cultus utrũque ordinem distinguat. Divitum magnificentiam reipublicæ proficuam esse; perituros nanque pauperes, nisi opulentorum profusiones occasionem præbeant quotidianas mercedes quærendi.* Qui verò solùm

Contrariis judiciis accipitur.

lùm id, quod è republica eſt, amare ſolent, *Juſtam, ac reipublicæ uſui futuram legem prædicabant: corruptis patriis moribus, rempublicam fũditùs everti, innatam Luſitanis parcimoniã eſſe, quâ exutâ, irrepere turpiora vitia; contrá á frugalitate omnes virtutes ali: antiquam Luſitanorum modeſtiam adeò abolitam eſſe, ut muliebri ornatu fœminæ ac viri jam promiſcuè uterentur, langueſcere virorum animos, ſiqua ſolicitudine æneam olim loricam quærebant, ſericam nunc veſtem quærant, & cùm propriæ opes non ſuppetũt, cogi cum flagitio alienas mutuari. Quare ſapientiſſimè eniti Regem novam apud Luſitanos prodigentiam coercere, & antiquam frugalitatem revocare:* Legis executionem Rex exemplo firmavit, vita enim Principis validior eſt edictis.

Petrus Noronius rediit in Lusitaniam.

Tunc tēporis Petrus Noronius legati officio Romæ egregiè fūctus, ac Veneto Senatu Regis nomine salutato, in Lusitaniā rediit, attulitq́ diploma, ut vocant, Cruciatū, à Pontifice maximo impetratum ad belli Africani auxiliū; & cùm Pontifex Joannem hoc beneficio, quod eâ ætate, rarò concedebatur, valde obligaret, sperabat fore, ut à Joanne non leviorem gratiam iniret. Mos erat Lusitaniæ Regibus neutiquam sinere Pontificia decreta exequi, antequam à Cancellario maximo, alisque regiis administris exami-

aminarentur, utrùm aliquid continerent, quod regali juri officere poſſet; quod quidem examen Pontifices ægrè ferebant, quòd crederent ſupremã eorum auctoritatem quodammodo imminui. Itaque Innocentius Octavus nactus occaſionem Joannis animum ad ſuum obſequium flectendi, eum per literas enixè rogavit, ut hanc conſuetudinem, tãquam Pontificiò juri adverſam, tollere vellet; tũc Joannes ſeu beneficio devinctus, ſeu animo Chriſti vicario obſequendi, Innocentii voluntati omnino in-

Conſuetudinem examinandi pontificia decreta Rex tollit.

indulſit. Et quanvis non defuerint qui de hoc Joannis facto variè ſenſere, ſentiuntque; nos tamen rem integram juris peritis diſputandam relinquimus.

Ioannes Ferdinãdo Malacam obſidenti pulverem nitratū ſuppeditat.

Similem per id tempus religionis amorem Joannes oſtendit. Ferdinandus Caſtellæ Rex Malacam Granatenſis regni maritimam urbem armis obſidebat, & cùm in ejus exercitu nitratū pulverem, aliaque militaria inſtrumenta defuiſſe reſciſceret, & ob eam cauſam urbem à Ferdinando non niſi ægerrimè capi poſſe; abſque mora navigium pulvere, cæteriſque

riſque inſtrumentis onuſtum Ferdinando miſit. Nec Joannem latebat acquiſitione Granatēſis regni Ferdinandum potentiorem fieri, rebuſque ſuis minimè cōducere finitimi Principis potentiam tantopere augeri; ſed rarâ Principum virtute, apud generoſum, & pium animum religionis cauſa privato commodo prævaluit.

Ejus largitio in Cetobrica cives.

Ineunte anno M. CD. LXXXVII. regiæ beneficentiæ ſpecimen dedit. Nam cùm Cetobrica inſigne Luſitaniæ oppidum ultra Civium vires vectigalia penderet, non ſolùm gra-

gravibus tributis hunc populum levavit in posterũ, sed etiam eorundem vectigaliũ redditibus jussit publicum aquæductum fabricare; & quia ad perficiẽdum opus redditus nõ sufficiebant, regiis sumptibus ingentem molem peregit. Sciebat Rex prudentissimus dum populares pauperes sunt, fiscum divitem esse non posse, suæque magnificentiæ, & liberalitatis memoriam illis lapidibus permansuram.

Rex Ulyssiponem venit ut classis celeriter adornaretur.

Cùm pestis denuò Ulyssipone grassaretur, spreto propinquitatis periculo, Rex Scalabim venit, oppidum

dum ad Tagi ripam ſitum, ut propiùs inſtaret adornandæ claſſi, quam ad bellum Africanum inſtruere juſſerat; licèt enim nondum finitum eſſet tempus, in quod Rex Alfonſus cum Feſſenſi Rege inducias pepigerat, eaſque barbarus religioſè ſervaviſſet: attamen Barrajus, & Almendarinus Tetuanii, Xeveaniique præfecti à Rege ſuo defecerant, eique inferre bellum meditabantur. Joannes autem, ſpecie eorum perfidiam ulciſcendi, arma in Africam mittere decrevit, longè alia animo ſecum volvens.

vens. In triginta ergo navibus centum & quinquaginta equites, mille pedites, multique præterea voluntarii milites impositi sunt, & universæ classi Jacobum Ferdinandium Almeidam Hierosolymitani ordinis equitem præfecit, ejusque legatū Joannem Ataidium creavit. Brevi navigatione integra classis ad Africam propè Anafis urbis vestigia appulit, & Jacobus cum omnibus copiis insciis barbaris terram tenuit, per quam liberè incessit usque ad rebelliū pagos, ubi nongentos interfecit, quadringentos cepit,

Classi Iacobum Almeidam imponit.

pit,

pit, nemine suorum desiderato; & quia vana exploratorum monita secretum Regis consilium frustrata fuerant, Jacobus sententiam mutare coactus fuit, & tanquã nihil aliud à Rege in mandatis haberet, exercitu in classem recepto, in Lusitaniam reversus est. Quod Joannes quoque cùm simularet, Fessensi Regi ostendit se ejus amicitiæ gratiâ tantã molem duntaxat paravisse. Maurus autem pro tanto beneficio per legatum ingentes gratias Joanni egit; atque ita factum fuit, ut moliminis secretum

Qui postquã non paucos Mauros interfecit, pluresque cepit, in Lusitaniam rediit.

Joannes in posterum retineret, & fœderati Principis animum obligaret.

Barrajum Tingitanũ agrum devastãtẽ Ioãnes Menesius vincit, capitque.

Eâdem tempestate Barrajus Tingitanum agrum usque ad urbis mænia non parvâ manu repentinâ incursione vastavit; cui Joãnes Menesius urbis præfectus cum præsidiariis celerrimè obviam occurrés, tam fortiter pugnavit, ut primo impetu ipsum Barrajum, aliosque ex primoribus barbaris multis vulneribus consauciatos ceperit, cæteris fusis fugatisque. Hanc victoriam Rex magni fecit; nam propter celebre barbari in armis nomen,

nomen, eam haud exigui momenti esse existimavit, Deoque exercituum publicâ supplicatione grates persolvit, ac Joannis militarem virtutem palã laudavit; quo levi munere, solent Principes & ingentia merita rependere, & generosos animos ad egregia facta perstimulare. Fuere qui suaderent Regi, ut Barrajum interficere juberet; censebant enim ejus militare robur, & inter illos barbaros auctoritatem multum Lusitanis rebus nocituram, si libertatem adeptus foret. At Rex, cui semper magis ge-

nerosum cõsilium, quàm utile placebat, suasionem neglexit: quinimò Joanni Menesio injunxit, ut cum captivo mitissimè ageret, misitque medicum, qui ejus vulneribus accuratè mederetur; statimque de redemptione agitari voluit; quæ pro quindecim aureorum millibus, decẽ Christianis captivis, & undecim equis pacta est, itaque duobus liberis obsidibus relictis, cùm jurasset nunquam se arma adversus Joannem sumpturum, in patriam reversus est.

Rex consilium occidendi Barraji rejicit.

Ne Africanarum rerũ ordinem interturbemus, quæ

quæ sequenti anno acciderunt, huc referre libet. Longe dissimili sorte Antonius Noronius Septæ præfectus bellum gerebat. Erat ille juvenis militari quidem virtute præditus, sed belli inexpertus; & cùm hostiles agros feliciter deprædaretur, regredientem ingentes barbarorum copiæ assequuntur. Tunc ille spretâ hostium multitudine, aciem in eos dirigit, & adeò temerè se pugnæ miscuit, ut quanvis ipse suique fortissimè dimicarent, hostium tamen numerò superante, ipse Antonius, & Ferdinádus

Diversa sors Antonio Noronio in Africa contigit.

Nobilium mors, & captivitas.

dus Coutinius captivi, Christophorus Melius, Simō Sousa, Martinus Vasquius Cuneus Tavoræ dominus interfecti fuerint. Qui cùm ex primore nobilitate essent, eorū mors, & captivitas Maurorum victoriā multò quàm pro numero auxere, Lusitaniæque luctum ingentem attulerunt. Et Rex redimendi captivos curam statim suscepit; & quia Barraji obsides adhuc in Joannis potestate erant, cum illis Antonium, cæterosque nobiles commutavit; quorum vicem Rex tam acerbè tulit, ut talium virorū necem,

Captivi redimuntur.

necem, & captivitatem ipſe ultum ire ſtatuerit; exiſtimans nihil tam fluxum eſſe, quàm militarẽ famã, quæ, ſi dum labi cœperit, non retinetur, penitus corruit.

Interim ſecundior Mars Franſciſco Coutinio Comiti Borbenſi Zilæ urbis præfecto obtigit. Is quodam Mauro nobis fido pro exploratore utebatur, qui cùm à ſuis deprehenſus, & à præfecto Alcaſarquibirii capite damnatus eſſet, mortem evadere tentans, pollicitus eſt Talaro (id nomẽ Maurorum præfecto erat) Coutiniũ pro-

Franciſcus Coutinius feliciter bellum gerit.

Ii ditu-

diturum; quo pacto non solùm solutus pœnis, sed etiam promissis allectatus remittitur. Albula igitur (sic speculator appellabatur) tanquam è vinculis elapsus esset, ad Coutiniũ revertit, & lætitiam pro adepta libertate mirificè simulans, Coutinio pollicetur, si se indice uti vellet, tutò illum ex Africanis agris ingentem prædã agere posse. Nec dubitavit Coutinius credere se Albulæ, utpote cujus fidem multis antea experimentis exploraverat. Delectis itaque sexaginta equitibus, versùs eum locum tetendit,

Albula dolus.

tendit, quem ſpeculator indicarat, ubi Talarus inſidias poſuerat, præmiſeratque agricolas cum bobus terram colentes; qui cùm ad Coutinii conſpectum refugiſſent, eum in inſidiarum locum pertraxere. Inde barbari ſubitò magno cum ſtrepitu coorti Coutinium circumdare conabantur. Ipſe verò perſpecto hoſtium conſilio, celerrimè locum ad pugnandum commodiorem occupat, & in confertum agmen ſuos colligit, atque ut Mauri intelligant ipſum ducem non intereſſe, ſed alibi ſuppetias allaturum

turum delitescere, regium vexillum abscondi fecit, simulque ut militem ad dispar certamen fortiter ineundum excitaret: *Una nobis salus est* (inquit) *manibus potiùs, quàm pedibus quærenda: si aliquando nūc pro religione, pro fama, & pro vita dimicare oportet. Neque vos hostium multitudinem formidetis, nam virtute potius, quàm numero victoriæ comparari solent.* Plura dicere conantem agendi tēpus interrumpit, & ferociter inito prælio uterque dux quasi singulari certamine alter cum altero tam obstinatè in mutuam perniciem concurrerunt, ut equis utriusque occisis, diu pedibus dimicaverint, donec

Continuus milites ad pugnā hortatur.

nec barbarus jam nimis ſaucius arma poſuit, ſeque Coutinio dedit. Tũc Coutinius cæteros fugam capeſſere coegit, & nullo ſuorum amiſſo, ingentem prædam reportavit. Fertur Talarum, cùm ſe à tam parva manu victum animadvertiſſet, ad Coutinium converſum dixiſſe. *Noli victoriam tantopere jactare, nam ſi Deus hodie fuit Chriſtianus, cras erit Maurus.* Rex Joannes victoriâ, ut par erat, nimis lætatus, Coutinio pro opera ſtrenuè navata gratias egit, Joannique ejus filio conceſſit, ut poſt patris obitum

Hoſtes fundit, & Ducem capit.

Rex Coutinii virtutẽ præmiis afficit.

in Zilæ præfecturam ſuccederet. Sciebat enim homines cùm memoriam ſui æternare percupiant, pluris facere dona filiis, quàm ſibi ipſis collata.

Alia de Mauris victoria per Ferdinandũ Martinium Maſcareniũ.

Brevi temporis intervallo aliam victoriam de Mauris noſtrates retulerunt. Cùm enim Rex in Africam tranſmittere maiora meditando in aliud tempus diſtuliſſet, placuit interim Ferdinandum Martinium Maſcarenium, quem expeditioni præfecerat, cum centũ, & quinquaginta equitibus, milleque peditibus mittere, ut unà cum Comite Borbenſi

ſi Joanne Meneſio conjũ-
ctus, aliquod militare fa-
ctũ Luſitano nomini glo-
rioſum patraret. Ita Maſ-
carenius poſtquam Zilam
tenuit, additis duobus,
quos dixi, ducibus, oppidũ
arte, & naturâ munitum,
brevi certamine cepit, tre-
centis barbaris captis, pau-
cis interfectis, multis ſpo-
liis aſportatis domum re-
vertens à Joanne exquiſi-
tiſſimis verbis exceptus
honoratuſque fuit.

Recepti in Luſitaniã Hebræi ingentiũ dãnorum origo.

Cùm foris magna acci-
diſſent, non parva domi
agebantur; quippè magnã
Hebræorum multitudi-
nem, quam Rex Ferdinã-
dus

dus Castellâ pepulerat, Joannes commiserationis causâ excepit, eâ lege, ut objuratis Judaicis ritibus, Christi religionem profiterentur, & quanvis severè animadvertisset in eos, qui antiquos ritus aut nūquam exuerūt, aut denuò resumpsere, attamen ingentia damna, æternùmque deflenda ex eorum receptione Lusitaniæ provenerunt.

Bellicus apparatus instruit.

Sed religione in præsentia satis procurata, ad muniendas arces Castellæ finitimas Rex animum intendit, nitratum pulverem, arma, & militares machinas

chinas in armamentaria colligere, militéque conſcribere juſſit. Quæ quidẽ omnia cùm ad proximum bellum ſpectare viderentur, Reges Caſtellæ ad Joãnem legatum miſerunt, ſuadentes ne fœdus rumpere, aut communem quietem, nullâ denuò inſurgente cauſâ, perturbare vellet; ſed immotus ad ea Joannes ab incœpto non deſtitit eo conſilio, ſicut poſtea innotuit, ut belli timor Caſtellanos ad nuptias Eliſabethæ eorum filiæ natu maximæ cum Alfonſo Joannis filio contrahendas compelleret. Nam

Quo conſilio?

licèt pactum esset, ut Alfonsus uxorem duceret Joannam eorundem Regum minorem filiam; ægrè ferebat elatus Joannis animus Alfonso minorem filiam dari, maiore ad aliũ Principem reservatâ, & à multis procis expetitâ; & ne ab aliquo occuparetur, Castellam misit Rodericũ Sandium, Regum de hac re consilium exploraturũ; qui rem tam feliciter egit, ut Elisabethæ cum Alfonso conjugium obtinuerit iisdem conditionibus, quibus Joannæ pactum fuerat; nuptiis ad proximum annum destinatis.

Alfonsi nuptiæ, & Elisabethæ.

Interea

Interea Jacobus Ferdinandius Correa Regis in Belgio procurator ipſum admonet per literas de diſcordiis inter Carolũ Gallorum, & Maximilianum Romanorum Reges exortis; & cùm Joannes Maximiliani amitinus, & Caroli fœderatus eſſet, eum per Jacobum Maximilianus oravit, ut ſe medium inter utrunque vellet interponere, ne animorum diſſidium in apertum bellum prorumperet. Protinus Rex Joannem Teixerium Cancellarium maximum, virũque eâ ætate inſignẽ, legatum ad Carolum mit-

Rex Ioannes Maximiliano Romanorum Regi opem fert adverſus Gallorũ Regem.

tere parat;at ſecundus nũtius legationem impedivit afferens Maximilianũ à ſeditioſis Brugenſibus ea in urbe detentum eſſe; quod flagitium Joannes execratus, in ejus publicã deteſtationem Carolo bellum indicere ſtatuit. Nam præter ſanguinis neceſſitudinem, regia violata dignitas ad Maximiliani cauſam ſuſcipiendam eum meritò impulerat: ſiquidẽ ad omnes Principes maximè attinet curare ne regia maieſtas aliquo modo lædatur.

Igitur ſine mora Eduardum Galvanum cum mãdatis

datis mittit, ut non modò Gallorum Regi, ſed etiam cuilibet alii Principi, qui Brugenſium ſeditionem foveret, bellum indicat; datis inſuper teſſeris collybiſticis, quibus grandem pecuniam in Belgio recipiat pro Maximiliani cauſa largiter inſumendâ. Sed Brugenſes, ſeu rei ipſius atrocitate perculſi, ſeu cōmunem invidiam, & multorum Principum arma timentes Maximilianum cuſtodiâ liberarunt: cui quidem multũ profuit pecunia ipſi à Joãne collata.

Gallorum Regi cæteriſque Principibus Maximiliani adverſariis bellum indicere ſtatuit.

Iiſdem ferme diebus de alia re alio cum Principe

 Ioan-

Comitem Pēnamacoriū in Britānia res novas molientem interficiendum curat.

Joannes non minus intentè egit; cujus negotii causa fuit Comes Pēnamacorius. Is, ut supra memoravimus, cum uxore, ac liberis, permittente Rege, ad urbem Hispalim se contulit, indeque crimina addendo criminibus, ad Eduardum secundum Britanniæ Regem adivit, & cum eo clā sæpe collocutus, ei suadere tentavit, ut Guineam, cæterasque Lusitanas colonias armis invaderet; erântque qui crederent Comitis suasiones non displicuisse Eduardo, quanvis esset Joanni fœderatus. Nam ea regnandi natura est, ut

rarus

rarus Princeps torvo supercilio accipiat, quæ de augendo imperio; vel etiam contra amicitiæ jus, proponuntur. At cùm Joannes rescisceret quæ Pennamacorius moliebatur, satiùs duxit antequam de re Eduardum admoneret, Pennamacorium de medio tollere. Igitur Alvarum Caminium hominem manu promptum necis exactorem elegit, qui tamē multâ, licèt operâ insumptâ, rem perficere non potuit, tum propter arcanum male servatum, tum propter Comitis in vitando periculo diligentiam

In eo tamen frustra est.

tiam. Id cùm comperisset Joannes, datis ad Eduardum per certum hominē literis, eum certiorem facit de crimine Pennamacorii, oratque ut aut ipse hominem punire vellet, aut eum in Lusitaniam remittere, meritas fœdissimæ proditionis pœnas exsoluturum: addebat eam esse Comitis perfidiam, ut tāti Regis patrocinio imò aspectu indignum se faceret: protegere proditores non solùm indecorum, sed etiam perniciosum exemplum esse Regibus, ad quos pertinet læsæ maiestatis crimina ita vindica-

re,

re, ut neutiquam ſperare, poſſint ſceleſtiſſimi hominum evaſuros ſe meritas flagitii pœnas. Sed hæc nihil aliud obtinuere, quàm ut Eduardus Comitem in Londinenſi arce cuſtodire juberet, dicens nullo jure licere quempiã inauditum damnare. Tunc Joannes, ne quid omitteret, quo Comitis pœnam perſequi poſſet, in Angliã miſit Arium Almadenſem criminalem prætorẽ, legumque peritiſſimum, qui tanquam regius procurator Comitem accuſaret, & quanquam illum Eduardus in ſpecie quæ-

Penamacorius in Lõdinenſi arcis cuſtodiã conjicitur.

 ſtioni

ſtioni ſubjecit, re tamen ipſâ protexit; eò uſque, ut eum etiam è vinculis ſolveret, quibus liberatus Hiſpalim revenit, ubi denique fato obiit. Sed quanquam Joannem non lateret, quàm malè Eduardus amicitiæ leges coleret, maluit tamen videri offenſam non agnoviſſe, quàm bellum illi genti indicere, qua cũ à primordio regni noſtri fœdus, & commercium utriſque proficuum ſervavimus; noverat enim Regibus præcipuam agendi rationẽ eſſe debere, popularium commodis proſpicere.

Per

Per idem tempus Æthiops Rex ex ea natione, quam Jalofam vocamus, Ulyſſiponem appulit, qui regno propinquorum inſidiis pulſus, ab Joanne auxilium oraturus veniebat, quo poſſet regnum vendicare: atque ut auxilium faciliùs impetraret, ſe ſuoſque Chriſtianâ religione inſtrui, luſtralibus aquis intingi, ac de Regis nomine Joannem appellari voluit. Mirâ Regis lætitiâ, ac procerum gratulatione celebratum fuit luſtrale ſacrum, exhibitique per eos dies publicè ludi, atque equeſtria ſpectacula, in

Rex Æthiops ad Regem auxilium oratum venit.

Et Chriſtianam religionem ſuſcepit.

quibus Jalophi desultoriâ artem tantâ pernicitate, & agitandi peritiâ exercuerunt, ut universos spectatores in admirationem rapere nt.

Atque Pontifici Maximo per literas obsequium exhibet.

Sub ea Joannes Æthiopum Rex per literas supplicem in modum scriptas Romano Pontifici obedientiam præstitit, seque in Lusitanorum Regum ditionem dedidit imposito annuo tributo, ac si amissa reciperet, Lusitanos ad interiora Libyæ pretiosaque metalla deducturum pollicitus est. Tunc Joannes probitatem, & fortunam exulis miseratus, existimans

iſtimans insuper non eſſe ſpernenda, quæ ad ſuam gloriam, & Chriſtianæ rei incrementum à Jalopho proponebantur, viginti naves adornare jubet, in quas præter nautas, & propugnatores, Evãgelici miniſtri quoque impoſiti. Fabri præterea cum inſtrumentis, materiâque ad ædem ſacram ædificandam, arcemque condendã, quas Joannes de Jalofi conſenſu in Zanagæ fluminis ripis excitare jubebat. At tantus apparatus, tantæque ſpes non temerè conceptæ in irritum recidere. Siquidem appulſâ jam ad Zana-

gam classe, & arce inchoatâ, Petrus Vasæus Cuneus, quem Joannes classi imposuerat, Regem Jalofum prætoriam navem incautè ascendentem pugione cófodit, vel fraudem aliquá suspicatus, vel quod frequentior fama tulit, gravitatem Cæli perosus, causam ibi commorandi quoquo modo tollere paravit. Et cùm Regis cædes barbaros, ac nostros valdè cómovisset, ne gravius incómodum accideret, in Lusitaniam remigatum est, Joanne acriter indolente, quòd tantum impendiú, & tam felicia cœpta unius hominis

Rex Æthiops occiditur sine justâ causâ.

14 Ioannes vehementer dolet, sed scolus dissimulare, consultú ducit

hominis aut iracundia, aut scelus frustrasset; sed quia non satis constabat falsa esse, quæ Petrus de Bemoino suspicatus fuerat, placuit crimen dissimulare; nam magis pertinet ad exemplum magna delicta nõ agnoscere, quàm agnita leviter punire.

Brevi deinde temporis intervallo alia quoque expeditio bellicum Joannis animum ostendit. Inter insulas, quas Lixius Mauritaniæ fluvius circũfluit, una est, quam pro soli amœnitate Gratiosam, hoc est, spectantibus gratam nostri vocarunt. Et quia

Gratiosa insula in Mauritania.

situs

ſitus inſulæ opportunitatem præbebat bellum inferendi duabus vicinis urbibus Miquineſio, & Alcaſſarquibirio, placuit Joãni Caſtellum in inſula erigere, operique præfecit Gaſparem Zuſartem virũ manu-promptum, & muniendi arte peritum; & ut vehementiùs expeditioné foveret, Taviram Algarbiæ urbem ſe contulit, ubi accepit nuntium, qui attulit Feſſenſem Regem, cùm agnóſceret ſibi, rebuſque Africanis pernicioſiſſimũ fore Luſitanos tam propinquos habere; ut principiis obſtaret, incredibili

Inſulæ arx ædificata.

peditum

peditũ, equitumque multitudine Gratiosam obsidere munitionibus nondum perfectis. Quem nũtium vix Rex acceperat, cùm extemplo Joannem Sousium ducem nobilitate, militiâque præclarum, cum mille & quingentis militibus misit; & quia Zusartius morbo laborabat, ipsum Sousium arci præesse voluit. Qui incredibili celeritate, atque industriâ cum suis noctu, insciis hostibus, arcem intravit. Sousiũ sequuti sunt tres duces claritudine generis, ac peritiâ rei militaris perinde insignes Ferdinandus

Quæ à Fessensi rege obsidetur.

Rex Ioannes opem ferre obsessis festinat.

nandus Martinius Mascarenius, Martinus Castellobrácus, & Jacobus Almeida cum non parva militũ, commeatûs, ac bellici instrumenti copia. At Sousio paucos post dies valetudine correpto, præfectura arcis omnium suffragiis Jacobo collata est. Interea Mauri arcem fortiter oppugnare tentarunt, maiori tamen conatu, quàm successu; licèt enim scalas ad muros intrepidè admovissent, multisque militaribus machinis modò scandere, modò subruere mœnia instititissent, pari tamen constantiâ repulsi, & Lusitanorũ

Lusitani Maurorum vim accerrimè propellunt.

tanorum in armis virtutem experti, decreverunt in posterùm non nisi eminus pugnare. Neque tamen Rex novis auxiliis obsessos juvare desistebat, sed Arium Silvium classi haud exiguas copias ferenti imposuit, ut ad Lixi ostium appellens incubaret occasioni subvehendi obsessis auxilia, & commeatus. Quod cùm Mauri animadvertissent, absque mora palis, saxis, atque omnis generis materiâ interciso fluvio, impositoque insuper ad utranque ripam Castello æneis tormentis munitissimo, navigationē

penitus impediere. Quæ res obſeſſos in ultimam deſperationem traxiſſet, niſi valdè firmati animis forent, imò, ut fortibus viris accidit, ex novis periculis novos animos colligentes, non ſolùm arcem ſtrenuè defendebant, ſed Mauros etiam irruptionibus fatigabant.

Ioannes ipſe cls copiis traiicere vult ad ſolvẽdam obſidionem.

Interea Joannes acceptis de ſuorum periculo nuntiis, ipſe auxiliatum ire protinus ſtatuit. Advocato igitur bellico ſenatu, dixiſſe fertur: *Nihil Principes magis dedecere, quàm eos in periculis deſerere, qui pro ipſorum obſequio maxima pericula ſubeunt: omnes, qui adeſſent, ſcire quali nobi-*

litate,

litate, quali virtute duces, militesque suo jussu pro religionis incremento, pro Lusitano nomine gravissimam obsidionem maximis cum laboribus, ac periculis sustinentes ultimam sine dubio iis imminere perniciem, nisi opportunè subveniretur: nec obsessorum salutem, aut regimen auxiliorum cuivis alii, quàm sibi credendum; quanquiam enim eo in cœtu quamplurimos cerneret tantæ moli pares, ad suam tamen famam omnino pertinere, quos in tot discrimina dederit, eorum periculis in tempore non deesse. Quod si quid humanitus ea in expeditione sibi acciderit, successorem relinquere, qui hoc exemplo condiscat non imperare solùm fortia, sed etiam agere, proinde non dubitare se tantopere eos consilium suum probaturos, quanto cum studio eos videat ad eam expeditionem se accingentes.

Postquam Rex dicendi

 fi-

Contradicitur ab universo senatu

finem fecit, frequens senatus ad ejus pedes provolutus orare: *Ne se, remque publicā in casum dare vellet, sed quando suorum amore promotus difficillimam rem, ac pene desperatam aggredi meditaretur, satiùs fore regiæ incolumitati consulere: nam tanto Principe incolumi salvam Rēpublicam, illo extincto universam in præceps ituram: hoc se è Republica esse censere, vererique ne si aliter dixerint, eorum fidem posteri sint dānaturi.* Dum ipse consiliariorum sententiis, & precibus detinetur, admonetur adesse Joannem Abrantiū, hominem nō minori prudentiâ, bellicâque virtute, quàm nobilitate insignē; quo admisso, sedereque jusso, Rex denuo relatio-

nem

nem incipit, Abrantiumque sententiam rogavit. Is contra cæterorum opinionem unus disseruit. *Præsentiam Principis præcipuum exercitibus robur, quod haud dubiè maximum fore, si in regia maiestate peritia quoque militaris eniteat; satis constare quantum roboris Joannes addiderit iis copiis, quas Castellano bello duxerit, & quò periculosior res nostra in Africa sit, eo maiori auxilio, nempe regio, indigere. An,* (inquit) *tot Lusitaniæ Regibus solâ cupidine proferendi Imperii in Africam transmittere licuit, Joanni non licebit eumdem laborem suscipere, quo suos summo in discrimine constitutos à crudelissima cæde, aut miserrima captivitate eripiat. Periclitantur qui obsidentur, periclitentur etiam qui obsidionem solvere tentant; neque verò tantorum periculo subtrahere se Principem decet,*

Sed Ioannes Abrantius superveniẽtes Regis sententiam propugnat, ac laudat.

decet, imò publicam salutem suæ anteponere; nam Principes mortales, respublica æterna est. Abrantii judicium mirificè Joanni placuit, sed ne cæteros uni adhærendo offenderet, id consilium sibi in animo esse dixit, nunc autem tanti viri sententiâ accedente, illud libenter amplecti; irent ergo, & quæ ad unũquenque attineret, debitâ solicitudine pararent. Qui cùm judiciis non animis dissensissent, omnes quasi ex propria mente pecunias conquirere, legere militem, aptare arma, equos emere, commeatus comparare, adornare naves,

Talis viri judicio vehementer Rex latatur, idque exequi properat.

ves, donec ex Africa allatum est Regem Fessensem cognitâ belli præparatione, cui Joannes tantam curam impenderat, inducias offerre; quas ipse specie recusantis accepit, ratus quàm fœderis cupidus videretur, tam difficilem ad honestas conditiones Fessensem fore.

Fessensis Rex cognito Lusitani apparatu, obsidionem solvit.

Igitur Roderico Sousio, & Jacobo Monroio potestatem facit inducias cum Rege Fessensi ineũdi, nullis certis mandatis, ex re tamen cõsulturis. Qui unà cum Ario Silvio classis præfecto re diligenter perpensâ diruere arcem statuere,

Induciæ cũ Mauris pactæ.

Et arx diruta.

tuère, quanvis enim solum intuentibus jucundissimũ esset, sicuti supra retulimus, exteris tamen adeò insalubre Cælum erat, ut sine magno hominum dispendio à nostris habitari minimè posset. Pactis ergo induciis iisdem conditionibus, quibus olim cum Rege Alfonso pactæ fuerant, & arce Lusitanorum manibus dirutâ, præsidiarii milites cum armis, & supellectile, explicatis vexillis, cæteroque militari honore ad classem contenderunt, quod quidem non parvæ gloriæ Joanni fuit; siquidem à tanto periculo, &

& angustiis sola professionis fama suos liberavit.

Eodem in tempore laudabilem liberalitatem Joãnes exercuit. Nam cùm à Petro Pantoja cive Tavirensi, & opulento negotiatore grandem pecuniam ad belli sumptus mutuatus esset, & non solùm sortem, sed etiam usuram solvere jussisset; Pantoja usuram accipere recusavit; quod cùm Rex cognovisset, duplicem ei usuram pendere imperavit, testatus quoties recusaret, toties duplicaturum. Solenne erat Joanni pro varia personâ variè agere, quæ

Regis liberalitas in Petrum Pantojam.

ad Regem pertinebant severè, quæ verò ad hominem civiliter tractabat; & ita æquè & obedientiam, & amorem conciliabat.

Comes Villa-regalis Marchionis titulo augetur.

Eodem anno Pace Juliâ Petrum Noronium Comitem Villæ-Regalis Marchionis titulo auxit. Ingẽtia hominis merita, ac sanguinis claritudo fecere, ut omnes de hujusmodi præmio bene sentirent; nam cùm Principes dona benemeritis tribuunt, strenuos spe allectant, ignavos documento corrigunt. Exquisitissimis ceremoniis, & honorificis significationibus Rex Noronio eam digni-

dignitatem contulit. Cùm enim publici honoris ratio ſpecie magis conſtet, quàm re, optimè Joannes oſtentatione collati muneris ejus amplitudinem auxit.

Comitia Eboræ habita.

Pace Juliâ Joannes Eboram venit, quæ indixerat comitia habiturus, ut in communi totius regni cōventu exponeret causas, quibus commotus nuptias inter Alfonſum filium, & Eliſabetham Ferdinandi Regis Caſtellæ filiam pepigiſſet, ſimulque patefaceret expenſas in Caſtellano, & Africano bello, maritimiſque in Æthiopiam

 ex-

expeditionibus cõtractas, propter quas regni subsidio maximè indigebat ad sustinendos sumptus, quibus solennia nuptiarum pro tantorum Principum dignitate celebraret. Quæ omnes maximâ gratulatione acceperũt gnari frustra rempublicam legionibus, ac classibus firmari, nisi Principes numero liberorum præcipuo Imperii munimento insistant. Sperabant insuper novæ necessitudinis vinculo utriusque Regis amicitiam, ex qua publica regnorum quies pendet, multò securiorem futuram. Igitur

Subsidium à Regno, Regi præstitum.

centum

centum aureorum millia, grandem pro illius ævi opibus pecuniam, libenter obtulerunt, eâ tamen lege, ut modum exigendi tributum penes se esset, quo solitam avaritiam regiorum exactorum vitarent.

Peractis comitiis Ferdinandum Silveriam, & Joãnem Teixeiram nobili comitatu stipatos, Rex Joannes Ferdinando Regi legavit cum mandatis ut Silveria in sacris nuptiarum ritibus celebrandis Alfonsi personam ageret. Legatis à Ferdinando magnificè exceptis Hispali conjugale

Alfonsi & Elisabethæ nuptiæ.

le ſacrum in aulæ ſacello celebravit Petrus Gondiſalvius Mendoceus S.R.E. Cardinalis ſeptimâ die poſt feſtum Chriſti Domini redivivi eâ quidem magnificentiâ, quæ tantos Principes condecebat. Cujus rei nuntium Joannes ingenti lætitiâ accepit. Sed hoc gaudium, ut fermè in rebus humanis accidit, inopinatus dolor parumper interturbavit, mors ſcilicet Joannæ unicæ Regis ſororis, ipſique cariſſimæ, tum propter ſanguinis cōjunctionem, tum etiam propter eximias virtutes, quas quòad vixit, perſan-

Ioanna Regis ſoror moritur.

ctè

ctè coluit. Recenti adhuc luctu venit in aulā Georgius Regis filius nothus, quem ex Anna Mendocea nobili puella fusceperat, cujus adventum inter publicum mœrorem triste aliquid protendere præsagiebant, qui plerunque vana mirari solent.

Georgius Ioānis filius nothus in aulā venit.

Pestilens morbus eâ tēpestate per Ulyssiponem plurimū grassabatur; qua de causa, & quòd Eborensis civitas cum frequentia populi, tum ædium amplitudine, & copiâ cibariorum, quæ vicini agri uberrimè suppeditant, tanto hospitio idonea erat, ea in

urbe excipere nurum Rex voluit, ibique nuptiarum hilaria quanto posset apparatu concelebrare decrevit, regiam magnificentiam ostendere affectans; ut palam fieret Lusitanorum Regum opes nequaquam inferiores esse potētiæ cæterorum Principū, qui Elisabethæ nuptias ambierant. Igitur magistratū variis administris creavit, cui Martinum Castello-brancum præfecit, ut hilariorum pompam se inconsulto pararet.

Nuptiarum pompam magnificè celebrandā curat Rex.

Ineunte Novembri mēse Elisabetha Princeps Pacem Augustam, quam Petrus

trus Gondisalvus Cardinalis comitabatur, eamque ad ripam Caiæ fluvii Castellam Lusitaniamque interfluetis Emmanueli Pacis Juliæ Duci tradidit. Interfuerunt etiam Eborensis Episcopus, Comes Mōsanctensis, & Catanedius, plurimique Lusitani proceres Elisabetham officii causâ comitaturi. Joannes verò, & Alfonsus alterius nurum, uxorem alterius Extremotii dum veniret, expectarunt, ibique pro nuptiarum felicitate præeunte Martino Costa Archiepiscopo Bracharensi, Deo rite supplicavere; statim-

Elisabetha in Lusitaniam adventus.

ſtatimque ad quoddam cœnobium monachorum ex Hieronymiana ſodalitate ſe contulerunt, ibi expectaturi præparationem.

Paratis jam omnibus, quæ regiarum nuptiarum pompam decebant, nova Princeps Eboram ingreditur inſigni equo vecta, quẽ purpurâ, auroque inſtratũ Emmanuel Pacis Juliæ Dux, loro itidem aureo ducebat. Ibat ille, ſicut cæteri procerum, omniſque comitatus pedes, & capite detecto, quo ritu ſoli Luſitani utuntur, tanquam Regibus ſuis præ cæteris gẽtibus obſequentes. Rex

Eliſabetha Eboram ingreditur equo vecta.

ipſe

ipse exquisito corporis cultu, & Gallicâ veste in ostentationem lætitiæ se exhibuit, ægrè ferentibus antiquæ severitatis amatoribus externos habitus cũ patriis commutari: *Ferme vestes indicia animorum esse; idcircò dedecere Reges qualecunque signum levis animi præbere, imó gentiles vestitus Principem servaturum, ne sicut externos ritus, ita & alias gentes suis præstantiores existimare videantur: præterquam quòd frequenti vestium mutatione gliscere luxum perniciosissimam rei publicæ pestem.* Erant etiã qui adnotarent nullo à cæteris discrimine haberi Emmanuelem, cùm esset secundo loco regni hæres, idem obsequiũ ab eo Rege

Rex Gallica veste se exhibuit, ægrè ferentibus multis.

exigente, atque à cætero procerum ordine; ſed Emmanuel fraterni excidii memor, gnaruſque inviſum ſemper, ſuſpectumque imperātibus qui proximè deſtinatur, ſtatuit ſe ab omni elati animi ſuſpicione eximere, nullum in Regem officium recuſando, eòque lætantis ſpecie, equum Eliſabetham portantem loro duxit, quam non multos poſt annos ſibi matrimonio conjunxit. Tam diverſas perſonas in mortalis vitæ ſcena ſuſtinent homines, mutantque.

Emmanuel Patis Iulia Dux equū Eliſabetham portantē loro duxit.

Principum ingreſſum ſecuta

ſecuta ſunt nuptiarum hilaria, & inter alios apparatus indicta eſt equeſtris decurſio, adeò quidem celebris, ut nullam hactenus nec frequentiâ, aut nobilitate equitum, nec cultus, veſtiumque opulẽtiâ Europa viderit celebriorem. In omni genere ludorum, atque in eo præcipuè, quẽ juniores haſtiludium vocant, Rex palmariam laudem adeptus eſt. Sed ludorum continuationem inter-turbavit peſtilentia, quæ in tantum mortalium concurſum vehementiùs graſſabatur. Quod periculum ut Rex vitaret, cum
tota

tota regia domo, relictâ E-
borâ, ad Vianam prope Al-
vitum oppidum venit. Ibi
alios equestres ludos Frá-
ciscus Coutineus Marial-
bæ Comes indixit; quibus
pari magnificentiâ ac dex-
teritate peractis, atrox ca-
sus, & inopinatus gaudiũ
in subitam mœstitiam, &
perturbationem mutavit;
nam Regé, duosque equi-
tes ex eodem fonte aquâ
epotâ tam repétinus mor-
bus invasit, ut infusi ve-
neni suspicionem præbue-
rit, admonito ante Rege
de meditato scelere. At ipse
cætera cautus, neque id
antea providerat, neque
postea

Rex Ebora relicta pestilentia causâ Alvitum venit.

Regem morbus invasit.

poſtea inquiſitionem ſivit, imò recuperatâ ſanitate,ad Almerinum deliciarum locum cum filio ſe contulit,indeque Scalabim, ubi magnificè ab urbis magiſtratu exceptus, auditis multorum Principum legatis, qui de nuptiis gratulaturi venerant, eos honoribus, doniſque auctos dimiſit.

Hæc inter Româ allatú eſt Summum Pontificem indulſiſſe Joanni roganti, ut magiſtratum ordinum equitum Divi Jacobi, Divique Benedicti Aviſienſis Alfonſo filio concedere vellet. Qui quidem ma-

Sũmus Pontifex Alfonſo Regis filio concedit magiſtratũ ordinum equitum D. Iacobi, & Benedicti.

Pp giſtratus

giſtratus ob ingétes redditus, & primariam nobilitatem ejus imperio ſubjectam, adeò Regibus formidoloſus erat, ut Joannes prudenter intelligeret, multum ſibi, ſucceſſoribuſque conducere in ſe, ac ſucceſſores tales magiſtratus trahere; idque conſiliũ omnes deinceps Luſitani, ac Caſtellani Reges amplexi ſunt. Sed inopinata Alfonſi mors felicem negotii exitum fruſtravit, quæ in hunc miſerabilem modum contigit.

Alfōſi Principis mors.

Mos erat Joanni ſanitatis, & refrigerationis cauſâ æſtuoſis diebus cadente ſole

ſole Tago fluvio corpus lavare,& natandi arté exercere. Igitur tertio Idus Julii in Tagum iturus filio,ſi venire unà vellet, fecit copiam: reſpondit labore venationis feſſum manere malle; quod cùm Rex audiſſet,ad eum inviſendum venit; ſed cùm ipſum, & uxorem ad feneſtram ſedentes vidiſſet, ipſos de via ſalutavit, greſſumque ad fluvium direxit. At Alfonſus reputans debitum parenti officium ſe non præſtare,mulam,quâ patrem ſequi poſſet, aptare imperavit, moxque impatiens moræ, equum præfecto

ſtabuli paratum celeriter inſiliit; & quia cùm ad fluvium pervenit, Regem já natantem vidit, per campum equitare cœpit, moxque dexteritate equi allectus, Joannem Meneſium ad certandum curſu provocavit; à quo admonitus appetere noctem, eſſeque admodum periculoſum ſine luce currere, equo deſcendit, & in mulam conſcendere conatus, rupto uno ex ephippii loris, iterum in equum inſiliit, Meneſiumque provocare inſtitit ad curſu decertandũ. Is autem quanquam Martis dies eſſet, in quo tanquã ſibi

ſibi ominoſo, nihil paulo maioris momenti agere ſoleret, inque malum omen acciperet videre quenquã alterum calceum cum altero concutientem, quod quidam juvenis poſtquam natavit, coram ipſo Meneſio fecerat, omnia tamen tanquam fortuita contempſit, ſeu quæ fato manent quanvis ſignificata non vitantur. Decurrentibus igitur, Alfonſi equus medio curſu fallente veſtigio, adeò præcipitanter ſuper ipſum corruit, ut ſemianimem reliquerit. Ad tam ſubiti caſûs famam advolat pater ſolicitus, accurrũt

Mortis omina.

 aulici,

aulici,& ut celeriùs medicamina adhiberi possent, in proximam piscatoris casam, pene exanimem transtulere. Sed omnibus remediis, quæ ars medendi invenit, frustra tentatis, Deique ope, quà privatis, quà publicis supplicationibus incassum imploratâ, sacrâ tantùm unctione illitus (nam cæteras expiationes animæ privatio sensuũ omnino prohibebat) assidentibus matre,& uxore, ultimum diem clausit. Quæ quidem catastrophe insigne documentum fragilitatis humanæ mortalibus dedit: quippe in ætatis flore

flore periit Princeps longâ vitâ dignissimus, cujus acerba mors tot patris curas in ejus conjugio conficiendo, tot sumptus in nuptiis celebrandis, tot denique spes in eo sitas miserabili sorte frustravit; & uxorem viduam in adolescentia, parentes jam in senectutem vergentes orbos, Regnum futuris dominis quasi destitutum reliquit. Sed quæcũque Dei decreta, non solùm justa, sed nobis salutaria credenda sunt.

Obiit Alfonsus Idibus Julii Anno Domini millesimo quadringentesimo no-

nonagesimo primo, & ætatis sextodecimo; cujus fatum antea prædictũ fuit. Nam cùm Rex partem ædium sodaliũ, qui Claustrales vocabantur, invitis ac renuentibus sodalibus, ad palatium adjunxisset, quò latiùs celebrarentur nuptiæ, monachus inter alios vitæ sanctimoniâ insignis palam non sine multis lacrymis asseruit, vim illam, quæ sacro loco inferretur, supremo Numini vehementer displicere, futurumque ut matrimonium illud, in cujus celebritatem ædes Deo sacra imminuta foret, infelicissimo

ſimo exitu concluderetur. Cujus facti adeò Joannem poſtea pœnituit, ut à Sũmo Pontifice (erat nanque eximiâ pietate) noxæ veniam ſuppliciter oraverit. Vulgus quoque, ut eſt avidus publicæ infelicitatis cauſas ſcrutandi, credebat meritas Regem luere pœnas, ob injurias illatas Joannæ Henrici Caſtellæ Regis filiæ. Alii ad Hebræorum receptionem præſentem calamitatem referebant. Qualibet autem de cauſa id acciderit, haud levem jacturã regno intulit. Licèt enim Garcia Reſendius ſcripſerit Al-

Cauſa quas vulgus mortis eſſe credebat.

ſonſi ingenium corporis ornatui, & blandis oble-ctamentis deditum non cõgruere imperaturo Luſitanæ genti duram militiam profeſſæ, alii tamen auctores tradidere Alfonſũ Regiis virtutibus fuiſſe præditum, & quidquid in eo minus robuſtum apparuerit, ætati, & non indoli tribuendum.

Prudentes imminentia mala, præſagiũtur dolentes.

Ad hoc præter dolorem ex Alfonſi deſiderio conceptum, angebat publicæ quietis amantes timor ne Joannes legitimâ ſobole deſtitutus, Georgium nothum ad regni ſucceſſionem vocare vellet; quod quidem

quidem diſcordias periculoſas reipublicæ pariturũ erat, dividendumque regnum duas inter factiones, alteram Georgium, alteram Emmanuelem ſecuturam.

Regum, omniumque Luſitanorum luctus.

Dum imminentium malorum præſentio prudentiorum animos pungebat, & omnes exquiſitiſſimis lugubribus præſentem mœrorem ſignificabant, Reges palatio egreſſi, ad privatam domũ divertere, ſeu ne palam lamentãdo inferiores maieſtate ſuâ viderentur, ſeu quia Eliſabetha palatium repetere noluit, ne conju-

gale cubiculũ mariti memoriam perpetuò renovando dolorem exulceraret. Brigantini vidua, quávis conjugis desiderium, & filiorum absentiam honestâ solitudine toleraret, ad visendam sororem Reginam, alloquiisque levãdam, Scalabim venit; nulla enim Regis severitas in Brigantinam domum exercita ejus obsequium, & fidem erga ipsum Regem imminuit. Regni quoque ordines obsequioso libello suum mœrorem significante, Regem orarunt:

Regni ordines Regem orãt ut modum dolori imponat.

Temperaret dolori, ne æternum susciperet; meminerit se non Alfonsi tantùm, sed omnium

nium Lusitanorum patrem esse; ne igitur amissi unius filii mœrore propriæ vitæ, à qua tot etiam filiorum salus penderet, nocere vellet. Tam fidas ordinum preces Rex grato animo accepit, eorumque officiū honorificentissimis verbis collaudavit; addiditque, *ob rempublicam imperaturum dolori quantum, & humana imbecillitas, & paterna indulgentia pateretur.* Deinde ne Georgii præsentia Alfonsi imaginem repræsentando, Reginæ doloris incitamenta renovaret, ipsi extra palatium habitationem parari jussit, nisi fortè animus fuit hac separatione tegere consilium eum ad regnum vocandi,

Rex Georgium filium à Palatio separat.

eaque de re ſuorum mentes apertiùs explorare. Sed poſtea omni exutâ ſimulatione, ipſe pro filio, contrà Regina pro fratre palam de ſucceſſione contēdebant; unde, ſicut antea prudentes providerant, publica perturbatio coorta eſt.

Rex Caſtellæ per legatos dolorem ob generi mortem Ioanni exhibet, & filiam revocare curat.

Poſtquam aliquot dies Rex componendo animo inſumpſit, ſe popularium oculis exhibuit; nec multò poſt Caſtellæ Regis legationem accepit, qui in Granatenſi obſidione de generi morte nuntio accepto, Comitem Albadeliſti ſibi propinquâ cognatione

tione conjunctum, & Episcopum Cordubensem misit, qui Joanni exprimerent suum ob Alfonsi mortem justũ dolorem,& de reducenda in Castellã filia agerent, defunctique Principis exequiis interessent.

In Templo Sanctissimæ Dei Matri ad oppidum Bataliam dicato, Regumque Lusitanorum conditorio, ubi Alfonsi corpus sepultum fuerat, justa persolvere Joannes præsens voluit, & cùm regius comitatus propè Divi Bartholomæi ædiculam uno ab oppido lapide sitam apa-

Alfonsi exequia.

aparuiſſet,complentur nõ modò viæ, ſed proxima rura, quaque longiſſimè proſpectari poterat, mœrentium turba, ac rogitãtium inter ſe: *Ubi Alfonſus Luſitanorum deliciæ? Ubi unicus regni ſucceſſor?* Cùm publicus apparatus paulatim ſucceſſit, idem omnium gemitus, nec diſcerneres nobiles plebeos; virorum, fœminarumve planctus; unà omnes conclamabant periiſſe Luſitanum Imperiũ; unde futuros dominos quærerent? Quaſi obliviſcerentur eſſe, qui ſe regni ſucceſſores exiſtimarent. Nihil tamen Joannem altiùs

tiùs penetravit, quàm studia hominum in Emmanuelem accensa, cùm eum legitimum regni successorem sentirent, dicerentque. At ipse sapienti moderatione applausum fugiens, vultu ad mœstitiam composito, exequiis interfuit, quæ omni pompâ, quam dolor ac magnificētia invenire potuit, concelebratæ sunt, iisque peractis, & Rege Scalabim recepto, Comes Albadelistius ipsum oravit, ne gravaretur si Elisabetha, sicut pactum erat, ad Castellā reverteretur. Cui orationi cùm Rex libenter annuisset,

Publicus in Emmanuelem amor.

Elisabetha Princeps in Castellam redit.

ſet, protinus Eliſabetha viam ingreſſa eſt, comitante ſocru uſque ad Abranteſium oppidum. Illìc dolore, & itinere feſſa paululùm commorata, tandem ad Olivenſá devenit, ubi Martinus Coſta Archiepiſcopus Bracharenſis Joannis juſſu eam tradidit Magiſtro equitum Divi Jacobi, cui Ferdinandus ad filiam recipiendam poteſtatem fecerat, non parum condolentibus, qui meminerant ſortis viciſſitudinem, qua Eliſabetha Luſitaniam intraverat, reliqueratque.

Secunda res in Africa.

Dum his Luſitania conflictabatur, res noſtræ ſecundo

cũdo cursu in Africa procedebant. Præerat Septæ urbi Ferdinandus Menesius Marchionis Villæ-regalis filius natu maximus. Hic urbẽ Targã armis cepit, & quinque ac viginti naves, quæ in ejus portu ad anchoras stabant, igne cõsumpsit, trecentosque Mauros captivos duxit.

Targa capta

Rex licèt recenti luctu premeretur, læto tamen vultu victoriæ nuntium accepit, Deoque Optimo Maximo gratias egit, multum collaudato Ferdinando, quòd cùm è prima nobilitate esset, ingentiumque opum hæres, gloriæ

tantùm avidus, bellorum pericula contemneret, ac dum Ferdinandi virtutem apertè laudat, obliquè perstrinxit desidiam eorũ, qui famæ incuriosi, turpe otium cum glorioso labore cõmutare non amant.

Rex Ferdinandũ Meneſium laudat.

Post Elisabethæ profectionem, Reges Scalabi Ulyssiponem se contulerũt; & quia magnum temporis intervallum urbe abfuerant, ingenti populi concursu excepti sunt. Sed parentum aspectus Alfonsi desiderium adeò vehemẽter excitavit, ut ex omniũ lacrymis tunc primũ ejus mortem auditã crederes, &

Regis in Ulyſſiponem reditus.

& eo ipso, quòd spes, quã de Emmanuele conceperant, unicum solatium esset, augebat præsentem dolorem timor ne Joannis in Georgium amor jure validior foret.

Neque tamen inter tã multos, qui Emmanuelis jus agnoscebant, indolemque amabant, deerant qui Joanni blandientes, Georgii causam seu fovebant, seu fovere simulabant. Sed qui vehementiùs Emmanuelis partes protegendas susceperat, fuit Ferdinandus Rex Castellæ. Nam cùm mortuo Alfonso, nullum Joannis amicitiæ pignus

Quidã, Rex Ferdinãdus præcipue, causã Emmanuelis juvabant.

gnus extaret, utilius sibi fore putabat, si Emmanuel, quàm si Georgius in Lusitaniæ regnum succederet; quippe illum tanquam sanguine conjunctum, sibi propitium sperabat, præterquàm quòd ejus factionem promovẽdo, domesticas Joannis curas augebat, quibus implicitus nihil in Castellam meditari posset. Reges quoque diversè inter se negotium gerebant; etenim Regina fratrem apertè juvabat, & privignum insectabatur. Rex contrà apud uxorem ejus fratrem amare simulabat, & filium

At Reges eâ in re diverse agebant.

cautè

cautè fovebat : ambiguis etiam verbis ingentia dona Emmanueli offerebat, si jure suo cedens, sineret Georgium in regnum succedere; perinde ac si sceptrum ullo pretio vendere liceret, cùm inter Principem & privatum hominem immensum discrimē sit.

Romæ etiã de negotio contenditur

Romæ quoque hac de re fuit acriter disceptatū. Nam Joannes, ut filius habilis ad regni successionē videretur, à Summo Pontifice enixè petebat, ut filium sacris legibus solveret, quò, licèt nothus, pro legitimo haberi posset.

Qua

Qua de re certior factus Ferdinandus, Joannis tentamentis obviam ire decrevit, Pontificique suasit neutiquam ei petitioni indulgeret: *Quod si aliter faciat, naturæ jura infracturum, atque inter Lusitanos intestinas discordias aliturum; quorũ utrumque quàm alienum sit á sanctissimo animo suo, perpendere ne gravaretur.* At Joannes, qui difficultates superare regii ac generosi animi esse semper arbitratus fuit, cognitis quæ à Ferdinando objiciebátur, acriùs in conatum innitens, Magistratum equitum Aviseensium, atque Jacobensium filio à Pontifice impetravit, ut tam multos

Rex filium Regno obtinendo multis munimentis firmat.

multos equites ei dignitati subjectos in Georgii partes traheret. Ad hæc domum ei constituit regio splendore conspicuam; utpote qui Jacobum Ferdinandium Almeidam, virũ sanguine ac militiâ præclarum, filio in pædagogũ præfecit, aliosque familiares pari claritudine attribuit; ut regiè educatus, & nobilissimis viris circundatus, validior ad contrariam factionem oppugnãdam existeret. Interim tamen, ut videretur bonum successorem relinquère, sibi præ omnibus cordi esse, coram multis asseverа-
 vit,

vit, eò se mitiùs ferre filii mortem, quòd meminerit Alfősum regendis Lusitanis non satis idoneum futurum; fortè perstringens quæ de ejus ingenio supra attigimus. Interea Emmanuel regni cupidinem tegere, urbe excedere, domesticis rebus incumbere pro tempore esse existimavit: scilicet, quantò minus se Regi suspectum redderet, tantò securiùs regiam indignationem evasurum.

Emmanuel regis suspicionem vitare curat.

Eodem anno Ferdinãdus Castellæ Rex Granatense regnum debellavit, ex ipsoque bello non parum

Rex Ferdinãdus Granatense Regnum in potestatem redigit.

rum

rum gloriæ nomini suo peperit. Nec Joanni factũ inglorium fuit: nam licèt Regibus insita natura sit aliorum Principum, confinium præsertim, amplificationẽ ægris oculis inspicere; Joannes tamen in celebranda Ferdinandi victoria rei Christianæ incrementum suis commodis præposuit, & quia Ferdinandus à Granatẽsi bello solutus, & non parvâ regni accessione auctus aptior erat ad inferendum Lusitanis bellum, quod ex discordia inter utrunque Regem propter regni successionem jam nimis

Nec Ioannes Ferdinandi incremento invidet.

incensâ facilè cooriri poterat; visum fuit Joanni ita rem suam parare, ut non solùm nullus timoris locus suis esset, sed ipse in Ferdinandum timorem verteret. Igitur, ut res militaris pluribus modis vigeret, publico edicto sanxit, nequis mulam, aut equum ad bellum non idoneum insiliret; nam vetito mularum, & inhabilium equorum usu, capacium numerus augendus erat. Sed quia edictum iis verbis conceptum erat, ut neminẽ eximeret, impietatis incusabatur. Nam homines sacris quocunque

Sed defensionem praeparat.

Mularum usum prohibet.

Ecclesiastici edictum detrectant.

que modo initiati clamabant sacrum violari jus, si ipsi regiæ potestati minimè obnoxii, regio edicto parere cogerentur. Quam accusationem ut Rex fugeret, declaravit eos eâ lege non comprehendi, nec eam sibi mentem fuisse. Rursus alio edicto cavit, ne quis jumentarius calceator mulis ferream soleá aptaret; & licèt denuo inclamassent non minus se secundo edicto lædi, quàm si priore tenerentur; Regis tamen exemplo, qui se ita legi summisit, ut ne morbo quidem diuturno vexatus, mulam unquàm

Querlis querelas astu eludit.

Ss iij con-

conſcenderit, omnes non gravatè decreto obtemperarunt; inde cum magna reipublicæ utilitate equorum numerus mirificè auctus fuit; quippe equeſtris militia præcipuum belli robur, & ars regēdi equos, juventutem viriliter exercet, & à ſegnitia, quæ animos hebetat, atque corrumpit, maximè liberat. Cæterùm magnam equorum copiam è Feſſenſi regno Joannes coemere juſſit, quos per ditiores patres-familias diſtribuit, atque in turmas diviſis idoneos ductores præfecit, juſſis ut præſtò eſſent, & ad

Equos ex Africa transportādos curat.

ad omnia, quæ imperata forent, exequenda prompti.

Inter tot belli præparationes, alia laudabilia opera minimè neglexit Rex. Ulyssipone magnificum valetudinarium ædificare jussit ad ægrotos pauperes curandos, eique addidit insigne Templum omniũ Sanctorum nomini sacratum. In Aula quoque elegans sacellum erexit, cui non paucos sacrificulos constituit, uno maximo cæteris præeunte. Is fuit Jacobus Ortisius, qui unà cum sacrificulis, & hominibus musicæ peritis statis

Nec pietatis curâ omisit.

horis

horis ritè Deo caneret. Quin etiam à Pontifice Maximo impetravit, ut in Castellis Lusitanæ ditionis, quæ præsidiariis militibus tenerentur, atque etiam in curiis jurisdicentium sacrum quotidie celebrari liceret. Præterea cœnobium virginum institutum Jacobensis militiæ, quantùm fœminis licet, observatium, ex Pampuliano suburbio, ubi in memoriam Martyrũ Verissimi, Maximæ, & Juliæ erectum fuerat, ad Chelense suburbium transtulit, virginibusque præfecit Annam Mendoceam nobilem

nobilem fœminam, ex qua Georgium ſuſceperat, & quæ honeſtâ ſenectute quidquid in juventa peccaverat, optimè expiavit.

Dum Joannes tot ac tãta regiæ pietatis documenta edebat, res accidit, quæ occaſionem præbuit proferendi non obſcura præſtantis animi ſigna. Luſitanum navigium Minâ revertens auro, ebore, pretioſiſque aliis mercibus onuſtum, in Gallos piratas fortè incidit, qui illud, jure pacis violato, deprædati ſunt; quo comperto, licèt iis, quos Joannes in conſilium adhibuerat, viſum

Galli piratæ Luſitanam navem occupant.

fuiſſet nihil in Gallos tentandum, priuſquam à Carolo VIII. Galliæ Rege, prædæ reſtitutionem, & piratarum pœnas poſceret; quod ſi faceret, omnẽ diſcordiarum occaſionem tolli, ſin minus, meliori jure acceptam contumeliã ulciſci poſſe: ipſe tamen ſecum reputans Principes quantò viribus inferiores, tantò plus niti debere, ut decore potentioribus pares videantur, ſpretâ ſecuriori ſententiâ, arduum conſilium tanquam glorioſius amplexus, imperat Vaſco Gamæ, qui poſtea famâ ſui orbem implevit, ut

ut quàm maximâ celeritate posset, omnes Gallicas naves, quæ in Lusitaniæ portubus essent, in spoliati navigii pignus, demptis armamentis, detineat. Quo non segniter facto, multi Galli negotiatores, ad quos non modica inde jactura proveniebat, ad Carolum querelas detulerunt. Sed ille quanvis animo, & bellicâ virtute præditus, seu quia Neapolitano bello districtus, alio distineri noluit, seu quia Joannis amicitiam plurimi faciebat, non modò nihil hostile in Joannem tentavit, sed Lusitanum navigium cum

mercibus integrè restituit, & in piratas severè animadvertit. At cùm factâ restitutione, unus psittacus defuisset, noluit Joannes detentas naves liberare, priusquam psittacus quoque restitueretur; quo planum fieret non ademptas divitias, sed decus amissum, quod sæpe in minimis constat, redimere curavisse.

Eam tamen magnâ sui nominis gloriâ Ioannes vindicat.

Per idem tempus ingétem classem adornare jussit, cui Alvarum Cuneum stabuli præfectum, veteremque ducem imposuit. Sed nec classis è portu solvit, nec quo consilio parata

ta

tá fuerit, auctores tradidere. Resendius tantùm refert, peste per classem increbrescente, Jacobo Ferdinandio Almeidæ, & Alvitiensi dynastæ imperasse Regem, ut classis præfectum suo nomine inviserent; illos autem (etsi animi integros, & aliàs pericula contemnere solitos) contagionem horrentes, per Arium Sylvium maximum cubicularium Regi significasse immeritò tales viros inutili discrimini dari. Quod Rex in contemptum imperii, & periculi formidinem accipiens, Cintrâ, ubi tunc de-

gebat, non solùm ad oppidum Rastellũ prope classis stationem venit, sed ipsam quoque prætoriam navem conscendit, præfectumque invisit. Et ita periculum spernens, suorũ timorem tacitè increpuit.

Periculo spernendo suorũ segnitiã increpat.

Sed jam temporum ordo ad exitum supra memoratæ legationis, quam Congi Rex Joanni miserat, nos opportunè revocat. Appulso ad Lusitaniã legato Zacutâ cum sociis Æthiopibus, difficile dictu est, quantum gaudii attulerit Joanni spes, quã de religionis incremento in Æthiopia conceperat,

Æthiops Legatus in Lusitaniã pervenit.

præ-

præſertim cùm videret Zacutam, cæteroſque ſocios enixè petentes, ut in Chriſtianorũ gregem aſſumerentur. Igitur maturum viſum religionis myſteriis ſatis inſtructos ſoléni pompâ, feſtoque apparatu luſtralibus aquis abluere. Zacutam Joannes, & Eleonora ad ſacrum labrũ admoverunt, cæteros viri primarii applicuere; ſuique ſponſoris nomen unicuique initiatorum eſt inditũ. Myſterio peracto, idonei præceptores neophytis attributi, qui eos Chriſtianis moribus, & ſãctis documentis piè ac diſertè

Ipſe cum ſociis Chriſtianam religionem amplectitur.

ſertè imbuerent, firmarentque. Ita biennio in iis edocendis conſumpto, honorifica tandem legatio in Congum decreta cum regiis donis, & operandis Sacris idoneâ ſupellectile. Nec modò Æthiopes Chriſtiano cultu initiati remittũtur, ſed electi etiã ex Dominicana ſodalitate viri tres literis, ac moribus probati, qui apud Æthiopes, & docendi, & initiandi munere fungerentur. Additi inſuper architecti cum fabris ad templa vero Deo illis in regionibus ædificãda. Princeps legationis fuit Gundiſalvus

Rex ipſos cum legatione alia, & Sacerdotibus in Æthiopiam remittit.

vus

vus Souſa vir nobilis, & ad obeundum munus valdè aptus. Sed eo inter navigãdum peſtilentiâ correpto, Rodericus fratris filius omnium conſenſu ſufficitur. Mirâ interim novæ religionis cupiditate Chriſtianorum adventum Æthiopes expectabant, Regis præſertim patruus, qui Congi maritimæ regioni tunc temporis imperabat. Is cùm audiviſſet Luſitanas naves ad littus appuliſſe, magnâ ſuorum multitudine ſtipatus, ingentique omnium plauſu noſtris in terram deſcendentibus obviam prodiit. Et

Qui Congum appulſi, magna Æthiopum lætitiâ excipiuntur.

Vu quia

quia grandævus erat, ne forte occaſio adipiſcendæ æternæ ſalutis fragili cum vita elaberetur, ſacro fonte ſtatim ſe, filiumque, cui per ætatem ſibi conſulere non licebat, lavari voluit; eoque pacto factum eſt, ut tam diſpar ætas utrique parem utilitatem pepererit. Erat ei etiam filius adoleſcens, miro quoque animi ardore in religionem noſtram accenſus, ægrèque ferebat ſibi tantum beneficium retardari; ſed pater cauſâ officii, & obſervantiæ in Regem, noluit ipſum, ejuſque filios nepotes ſuos in obeundo myſte-

Æthiops Dynaſta cum parvulo filio ad Chriſti religionē traducitur.

myſterio antecedere.

Temporario igitur tẽplo raptim excitato, ac frõdibus, & ramalibus ſcitè conſtructo, tribuſque aris Chriſtiano more adornatis, Sacrum ritè peragitur; & tunc primùm ſalutaris aquæ myſterium illis in regionibus ſummâ omniũ lætitiâ celebratum eſt anno ſalutis humanæ milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo. Patri Emmanuel, filio Antonius vocari placuit. Præterea non ſolùm veneratione novam religionem profeſſus eſt ſenex, ſed etiam advocatâ concione, ſuperio-

Templũ ex tempore excitatur.

rem locum conſcendens, in nefarios ritus tam acerbè, & acriter invectus eſt, ac præterea flagitia tam dolenter deteſtatus fuit, ut vero Numine illuſtratum abſque dubio crederes. Quæ omnia poſtquá Rex Congi cognovit, adeò lætatus fuit, ut patruum in grati animi ſignum ingétibus donis auxerit. Qui Regis approbatione tanquam novâ roboratus vi, editis jam Chriſtiani animi documentis, aliud non minus ſané præclarum addidit. Siquidem idola undique cóquiſita, licèt ægrè tuliſſent multi, in cumulum

Ardor Christianæ pietatis in Æthiope.

lum conjici, ac concremari fecit. Ad hæc religiosos viros, tanquam veri Numinis Sacerdotes, summâ veneratione colere, & caritate complecti, de Christianis præceptis sæpissimè inquirere; & quanta cum reverentia rei Divinæ interesset, ex eo apparuit, quòd aliquot principum virorum filios ad templi januam tumultuosiùs strepitum cientes, statim interfici jussit, impium facinus existimans augustissimum sacrificium irreverenter ab hominibus haberi, haud dubièque ephebi assiduæ, impunitæque a-

pud nos (quod pudeat) culpæ, capite pœnas luiſſent, niſi Luſitani Sacerdotes tantum ſupplicium deprecati fuiſſent, Diviná miſericordiam erga mortales neophyto memorantes. Jamque à Congi Rege nuntii aderant orantes, ut quantum fieri poſſit, ad ſe venire properent; nihil vehementiùs Regem cupere, quàm expiatis baptiſmo antiquis ſordibus, ad Chriſtianorum cœtú quáprimum aggregari. Quo nuntio accepto, profectionem ultra differre non placuit. Igitur claſſi idoneo præſidio relictâ, Souſa

Rex Congi Luſitanos ad ſe vocat.

cæteris

cæteris comitantibus viam ingreditur. Cui Emmanuel officii, ſecuritatiſque gratiâ ultra ducentos ſtipatores dedit, itemque ad ferendas ſarcinas ingentem hominum vim, qui ſacram ſupellectilem vehere pro honore accipiebãt. Ad medium ferme iter præfectus regius obſequium præſtaturus noſtris occurrit; ad urbem verò appropinquãtibus, oppidanorum agmẽ de more gentis militarem lætitiam exhibentium ſeſe obtulit, & noſtros ordine circunſeptos lætiſſimis vocibus Cælum implentes, ad regiam uſque deducunt,

Et magnificè excipit.

cunt, tantâ affluêtis undique populi multitudine, ut ægrè Lusitanis aditus ad regiam pateret. Rex ipse in edito suggestu eburneæ cellæ insidens eminebat, ut facilè ab omnibus conspici posset, mitratus infulâ è palmæ foliis eleganti artificio contextâ, à capite ad umbilicum nudus, cætera ad pedes usque veste bombicinâ velatus, lævum brachium armillis ex orichalco decorabat, equina cauda pendebat ex humero, idque solis Regibus gestare fas est. Introductus tandem legatus, & honorificentissimè exceptus, post-

poſtquam Regem ſalutavit, & quæ in mandatis habebat, expoſuit, dona regia, & Chriſtiani ritûs inſtrumenta, exigente Rege, proferri jubet. Quibus conſpectis, omnia mirari, de ſingulorum uſu percõtari impenſè Rex cœpit, iiſque ad ſatietatem uſque luſtratis, & legato ad commodum, & decorum hoſpitium deducto, de Regis, ac Reginæ baptiſmate ſolicitè agi cœptum, & quò myſterium maiori pompâ celebraretur, templum Chriſtianum in modum prius ædificari placuit; & cùm jam opus incredibili

fervore ageretur, ecce à regni finibus nuntii allati, qui Munduquetam gentẽ à Rege defeciſſe, agros vaſtare, inflammare tecta, & pecudum prædas abigere, nuntiarunt, & quia tanto malo Regem occurrere oportebat, ne quis caſus inter belli pericula nondũ initiatum oppreſſiſſet, voluit antequam in bellum proficiſceretur, ſacro fonte luſtrari. Cujus exemplũ protinus Regina, & quamplurimi procerum imitati ſunt, & in Luſitaniæ Regum obſequium ipſe Joãnes, uxor Eleonora nomina ſibi elegerunt. Sed narrationi

Et priuſquã inteſtino bello occurrat, luſtrali aquâ ablui properat.

rationi rerum deinceps in Guinea gestarum finem imponere cogimur; quoniam ea, quæ post hæc sũt secuta, ad scriptores rerum Emmanuelis Regis pertinent, cujus auspiciis fuere patrata; à nonnullisque eloquentissimè sunt tradita, non patrio tantùm sermone, sed etiam Latino. Nos autem in iis, quæ de maritimis expeditionibus retulimus, propositæ brevitatis terminos aliquando transiliisse ingenuè fatemur, sed magnitudine rerum veniam apud lectorem assequi speramus.

Dum in Guinea Deo, ac

Regi novum imperium stabiliri curabatur, domesticis negotiis reipublicæ utilibus impensissimè vacabat Rex. Nam cùm optimè cognovisset nó minùs literis, quàm armis rempublicam vigere; annuas pésiones, quas in præceptorum mercedem Rex Alfonsus nomine quartus Ulyssiponensi Scholæ à Pontifice Maximo impetraverat ab Episcopis solvendas, quanvis acriter ipsi pendere recusarent, confirmavit, ratasque fecit, tá acriter Professorum partes suscipiens, ut haud difficilè causam obtinuerint. E-

Literis favet Rex.

jus

jus favore literæ apud nos armorū usui deditos jamdiu squalentes, florere cœperunt. Liceat nobis per occasionem breviter, indolere infelicitatis illarum gentium, quæ literas contemnunt, falsò existimantes armorum curam unicam habendam; perinde ac si belli, & literarum studia sibi invicem noceát, cùm potiùs mutuò inter se adeò juventur, ut nec duces indocti, nec literati inermes rempublicā beare possint.

Mirâ publicæ quietis curâ discordiam Rex sedavit, quæ inter Episcopum Co-

Rixarum flammas sedulò extinguit.

bricensem, & Præfectum Canonicorum Divi Augustini instituta observantium exoriebatur. Quæ licèt levi principio orta fuerit, tantas tamen vires acquirebat, propter utriusque partis factiones, ut perniciosos exitus pariturам minaretur, nisi Rex nascentis mali radices solicitè amputasset. Eâdem solicitudine extinxit rixarũ flammas, quibus Civitas Ebora ardere cœperat. Nam cùm Joannes, Jacobusque Mendesii Jacobũ Egidium Magrum occidissent propter injurias ab Egidio Mendesiorum patri

tri illatas, utraque factio propinquis, clientibusque pollens, vindictam, defensionemque suorum apparabat. Quo cognito, Rex homicidas in exilium agere, offensis denuntiare, ut ab ipso Rege justam ultionem expectarent; eoque pacto utrorunque cœtus dissolvit, & Rodericum Magrum Egidii occisi fratrē severè increpuit, quòd bona Mendesiorū propter crimen publicata, ut sibi donarentur petierat; noverat quippe magis interesse reipublicæ ingentes factiones pacificatione extinguere, quàm mutuum odium

odium partium suppliciis accendere. Eâdem tempestate tantus morbus repentè Regem invasit, ut sicut in adversa Regum valetudine plerunque accidit, suspicio veneni multos homines incesserit. Et cũ ægritudinis rumor percrebuisset, ejusque finem adesse intelligeretur, non facile dictu est quanta consternatione animi perturbati fuerint. Nam qui Regis severitatem horrebát, & metu magis, quàm amore in officio continebantur, quasi timore soluti, licenter agere, effrænatè loqui incipiebant. Cæteros

Repentino morbo corripitur.

quibo futuri

futuri domini expectatio solicitos in diversa trahebat; alii Georgium impésè cupere, ejusque partes clam adjuvare; plures Emmanuelis jus ingenuè agnoscere, & causá ejus palam fovere. Erant nonnulli, qui utriusque odio, ac studio vacui, imminentem reipublicæ perniciem factionibus divisæ sincerè deplorarent. Quin non solùm domi, sed etiam foris non parva contentione de regni successore agebatur. Miserat nanque Rex Romam Episcopos Portucalensem, & Septensem; Jacobumque Sousium, ac

Futuri Principis expectatio.

Legati Romam missi.

Ferdinādum Almeidium extra ordinem legatos, qui ſuis verbis à Pontifice Maximo enixè peterent, ut Georgiū habilem ad Coronam declarare vellet; at cùm fruſtra operam in negotio conſumpſiſſet, optatum rei exitum aliis tentamentis obtinere contendit. Retulere illius tēporis auctores Joannem cū Maximiliano Imperatore ejus amitino egiſſe, ut in Georgii favorem jure cederet, quo ad Luſitaniæ regnum aliquando vocabatur: erat enim Maximilianus Odoardi Regis nepos ex Eleonora Odoardi filiâ ortus.

Sed

Sed incredibile dictu est Joannem negotium rebus suis penitus inutilè agitasse, cùm Emmanuel ejusdem, Odoardi nepos (erat enim Ferdinando ejus filio satus) jure successionis Maximilianũ procul dubio anteiret.

Eodem tempore inter Ferdinandum Castellæ, Aragoniæque, & Carolum Octavũ Galliæ reges atrox bellum flagrabat propter Neapolitani regni occupationem. Joannes autem quò Ferdinando præcipuo Emmanuelis fautori curas augeret, legatis, qui Romæ degebant, imperavit, ut Se-

Rex Ioannes Carolo VIII. Galliæ Regi auxilium offert eo tantùm animo, ut Ferdinandum Regem sollicitudine afficeret.

nam urbem venirent, & Carolum suo nomine inviserent, eique societatem, & opes suas ad id bellum conficiendum offerrent. Gallus cum gratissimi animi signis legationem excepit, multaque verba in Joannis laudem, & ejus amicitiæ existimationem fecit. At cùm Joanni animus non esset longinquũ, atque onerosum bellum ultro suscipere, sed ejus tantùm moliminis significatione Ferdinandũ avertere ab Emmanuelis causa protegenda, multum quidem specie, re autem ipsâ nihil Carolum juvit; ea enim

enim regnandi natura eſt, ut ſimulatio, juſtâ moderatione adhibitâ, inter regni artes præcipua numeretur; quæ tamen ſi dolo malo verſatur, in vitium deteſtabile degenerat.

Nec ſolùm hoc facto, multis quidem experimẽtis Joannes oſtendit, quantâ prudentiâ in tractandis negotiis valeret; nam licèt militaris famæ avidiſſimus, inani tamen gloriæ, quæ rebus ſuis conducerent, præferebat; ideoque Ferdinando Neapolitanorum Regi auxilium ad regnum defendendum magnis precibus, & ſummâ con-

Ferdinando Neapolitanorum Regi auxiliũ petenti denegat.

contentione petenti denegavit; quippe qui domesticis curis distinebatur, parum prudenti consilio usus esset, si sese ad externum bellum accingeret. Optima Regis virtus devincere ingenium, quando bono publico nocet.

Iisdem fermè diebus quidam nobilis natione Gallus magno propinquorum, & clientum comitatu in Lusitaniã venit, Regique in Africano bello sub Lusitanis ducibus se stipendia facturum pollicitus est. Sed nec ejus nomen, nec causas, per quas Regem suum, tunc Nea-
politano

politano bello implicitũ, deſeruerit, tradunt ſcriptores. Id certè conſtat ipſum ingentibus donis auctum,& honorificis verbis à Rege collaudatum in patriam reverſum.

Innocentius VIII. Pontifex Maximus moritur, cui Rodericus Borja ſuccedit.

At verò Maximus Pontifex Innocentius nomine Octavus, quanquam ad Joannis pro filii cauſa preces diu immotus permanſiſſet; cùm jam tãdem Regis acerrimâ contentione,& legatorum quotidiano convitio expugnatus eſſe videretur, fato obiit. Ejus in locum ſuffectus fuit Rodericus Borja natione Hiſpanus, & domo Va-

Valentinus, qui Alexander post inaugurationem appellari voluit. Joannes autem de ejus ſuprema dignitate certior factus, ſtatim Jacobum Sylviũ Romam legavit, ut novo Põtifici ſuo nomine debitam de more obedientiam præſtaret; & quia Alexander, quanquam ex natalium jure Ferdinando ſubjectus fuerit, ei infenſus credebatur; maiorem Joannes de filii cauſa ſpem denuo concepit, Jacoboque in mandatis dedit, ut negotiũ accuratiſſimâ diligẽtiâ tractaret. At Ferdinandus tãtopere in adverſum nitebatur,

Jacobus Sylvius Romam legatur.

batur, ut ejus legatus Garcia Laſſus Veiga coram Pontifice in purpuratorũ patrũ conventu pro Emmanuelis jure luculentam orationem habuerit. Conſtat tamen Alexandrum, ſeu Ferdinandi odio, ſeu Joannis amore, aures Sylvio æquiores præbuiſſe.

Interea Joannem adhuc morbo vexatum, peſtis, quæ per totam pene Luſitaniam graſſabatur, per varia oppida vagari cogebat. Turribus veteribus degẽs, nuntium accepit afferentem Chriſtophorum Columbum Ulyſſiponẽ ventis jactatum appuliſſe. Is ut

Chriſtophorus Columbus Ulyſſiponem appulit.

Zz ſupra

supra memoravimus, à Joãne cum repulsâ dimissus, ad Ferdinandum Castellæ Regem se cõtulerat; à quo post septennium in superandis difficultatibus consumptum, tria denique navigia regiis sumptibus adornata obtinuit, quibus in Atlanticum Oceanum egressus, primùm Insulas Canarias petiit; deinde in occasum dirigit proram, & aliquot dierum velificatione factâ, novas Insulas aperuit, ad easque appulsâ classe aurifodinas nactus est, atque ibi relicto idoneis locis præsidio, duodecim indigenas, præter alia

inventæ:

inventæ regionis argumẽta, in Hispaniam revexit. Sui adventûs nuntium brevi ipse secutus ad Joannem officii causâ venit; apud quem novæ navigationis, prolixâ narratione factâ, inventarum regionum divitias adeò profusè extulit, ut acceptam à Joãne repulsam haud obscurè ipsi exprobare videretur. Qua de causa, & quòd Joãnes sibi persuaserat Colũbum Lusitanæ navigationis jura violasse, torvo supercilio auditum ingratâ responsione dimisit. Mox urgente dolore, vel quòd occasionem proferẽdi im-

perii tempore oblatam neglexiſſet, vel quòd novæ arduæq́ navigationis gloria à Luſitanis adepta quodammodo imminui videretur, ſi aliæ quoque nationes ſimile ſibi decus pararent, proceres in conſilium vocat, quid in præſentia decernendum oporteret, agitaturos. At ii, ut ferme in rebus arduis uſuvenit, diverſè cenſuerunt.

Quomodo à Rege habendus diverſè cenſetur.

Quidã exiſtimantes Chriſtophori navigationẽ jus, quod erat Luſitanis ad acquirendas novas provincias, lædere, ipſius cæde pernicioſum nobis conatum cohibendum cenſebant:

bant: *Nam extincto in tam difficili rei primordio ejus actore, & incognitæ navigationis unicè gnarò, quotusquisque reliquus, qui Ferdinando Regi continuationem sumptuosi moliminis, & incertæ utilitatis suaderet? Ac si suasisset, ignotam planè, & periculi plenam navigationem susciperet: nec in iis, quæ ad bonum publicum spectãt, honestum, priusquám utile, eligendum.* Contendebãt præterea *Columbum meritò capite plectendum, eo quòd utrumque Regem fefellerit, ambobus suadendo Lusitanorum jus inventâ navigatione minimè infringi.* Sanctiùs, ac generosiùs alii censuere, *hospitale jus nefariè violaturum Regem, si quem suæ ditionis portu amicè exceperat, ac regio aspectu foverat, nullo postea cõmisso crimine, interemisset, nec etiam publicæ utilitatis causâ fidem cuiquam frangendam esse, sa-*

tiùs, & cōsultiùs fore classem celeriter adornare, & antequam Ferdinandus in re tam dubia consilium caperet, ac maritimam expeditionem pararet, quidquid in regionibus nuper detectis ad Lusitaniam spectet, armis occupare. Quam sentētiam Rex, ut excelsæ indoli suæ aptiorem, amplexus, Columbum donis ornatum, portu solvere permisit, statimque classem quàm maximâ celeritate instruere jussit, cui Franciscum Almeidium clarum eâ ætate ducem cum delecto milite imposuit. At Ferdinandus de classis molimine, certior factus, festinanter legatum ad Joannem misit. Summa legationis erat, Lu-

Tandem liberè, & amicè dimittitur.

Classis adornatur cui Franciscus Almeida præficitur.

Lusitanum Regem ab incœpto abducere, orando, monendoque, ut arma deponeret, utriusque jus, sicut inter Principes sanguine conjunctos deceret, legibus, nō legionibus discerni vellet. Quod quidem Joannes non recusavit, sibi persuadens Ferdinādi caussam omnino jure destitutam esse. Barcinonem Petrum Diasium, & Rodericum Pinam legavit, qui cum Ferdinandi procuratoribus ea de re tranquillè disceptarent. At Ferdinandus, cujus res (pace cum Gallorum Rege recens factâ) secundiore cursu procedebant,

Rex Ferdinandus ad Ioannē Legatum mittit.

Qui alios ad Ferdinandū legat.

cedebant, negotium consultò extrahere decrevit, dum Columbus, qui iterũ maiori cum apparatu eadẽ in loca navigaverat, de cõcepta auri, & argenti spe, certiora indicia afferret. Eâ igitur mente legatos dimisit cum responsione, brevì se missurum ad Joannem oratores, qui totum negotium icto fœdere transigerent. Ne autem eorum mora Joanni suspicionem incuteret, suis quàm celerrimè proficisci jussit. Erant ii Petrus Aiala, & Garcia Carvajalius, qui initâ legatione, omnia quotidie procrastinando, adeò rem pro-

Ferdinandus iterum legatos in Lusitaniam mittit.

prolatarunt, ut apertè tandem visi sint nihil aliud in animo habuisse, quàm tempus consumere; donec in Castellam reversi, Joannem magis iratum, quàm delusum reliquerunt; & quanvis eorum astum optimè agnosceret, & Ferdinando vehementer succenseret; placuit tamen in eo dolo connivere, donec Columbi reditu, quo pretio novæ regiones ducendæ forent, satis exploratum haberet.

Interea Columbus nũtium in Castellam misit, qui de regionibus detectis plura quàm ille promiserat,

Nuntius in Castellā venit, qui de regionibus à Columbo detectis multa prædicat.

rat, asseveravit. De quo Ferdinandus jam certior factus, existimavit maximè sua interesse, exortam cum Joanne controversiá penitus dirimere. Igitur eosdem legatos in Lusitaniam Joanni denuo concordiam suasuros remisit; in quorum receptione, ipse, & callidum ingeniú, & facetum exhibuit: nam Ulyssiponem intrantibus per Divi Vincétii portam in proximo portæ campo urbanum equitatum se coram recensere jussit; ibique præsentibus legatis, inter colloquendum verba, ac facetias jecit, quibus haud

haud dubiè belli cogitationes ſuberant. Ipſis autem primo obſequio præſtito domum redeuntibus, dixit *Eam legationem nec caput, nec pedes habere*, lepidè cavillatus ipſos oratores, quorum alter è crure claudicaret, alter ab inſita homini vanitate levior haberetur : atque ita calliditatem cum dicacitate concinnè miſcebat, ut utrunque vitium, quod in extremis conſtat, optimè vitaret ; ſiquidem nimius jocus ſcurræ, non Principis ; nimia calliditas malevoli, non prudentis eſt.

Lepida Ioānis verba.

Cæterùm cùm neutri Regum pro illo rerum

ſtatu bellum expediret, licèt alter alteri belli timorem incutere invicem curaret; attamen poſt aliquã negotii altercationem, viſis jam ambobus regibus ad concordiam pronis, placuit Joanni inter conditiones fœderis à Ferdinando validiſſimè deſiderati, petere nuptias utriuslibet Ferdinandi filiarum cum Georgio notho, quo is tãti matrimonii ope, ac decore validior ad regni ſucceſſionem foret. Sed perſpecto Ferdinandi, & uxoris in Emmanuelem ſtudio de obtinendo conatu ipſi Emmanueli pernicioſo

Ipſe nuptias Georgii cum utravis Ferdinandi filia poſcit, at non obtinet.

ſo

ſo, deſperavit : deinde ſecũ reputans difficillimum fore nothum ad regni faſtigium evehere , pollicitus eſt declaraturũ ſe Emmanuelem regni ſucceſſorem, dummodo ipſi Eliſabetham defuncti Alfonſi viduam connubio jungeret; & Eleonoram ipſius Ferdinandi notham filiã Georgio nuptui daret. Nõ reſpuit Ferdinandus conditiones , tanquam rebus ſuis conducentes; ſed quia recens adhuc dolor , quo Eliſabetha propter miſerabile mariti fatum cruciabatur , alias nuptias admittere non ſuſtinebat, agi de

conjugiis desitum, & ad componendam de navigationibus controversiam ventum est. Quæ, ut serio tandem agitata ad fœdus usque deducta foret utriusque Regis procuratoribus conventus, Turdisillis Castellæ oppido instituitur. Joannes ergo Joanni Sousio Beringeli Toparchæ, ejusque filio Joanni, & Ayrio Almadensi criminalium causarum Prætori; Ferdinandus verò Henrico Henricidæ Comiti Albadelistio, Guterrio Cardenæ, & Roderico Maldonato ad ineundum fœdus plenam potestatem fe-

Fœdus inter Reges Turdesillis initur de novis terrarũ plagis dividendis.

fecere; omnes egregii quidem viri,& negotio pares; quippe qui duos Principes ingenio callidos,ac imperii proferendi avidos, & de vastissimo dominio disceptantes , utili utrique concordiâ feliciter composuere : illâ scilicet pactione , nescio à cæteris Principibus mirandâ magis, an invidendâ,qua universum terrarum orbem ex æquo bifariam secuere, ducto siquidem circulo ultra Hesperidum insulas ad viginti supra decies centena milliaria versus Australem polum , partê, quæ in Orientem vergit,

Joan-

Joannes (datâ illi ob primæ inventionis jura, eligendi facultate) sibi desumpsit, occiduâ Ferdinãdo relictâ, & ut linea orbem sectura exactè duceretur, pactũ insuper fuit, utrunque Regẽ intra bimestre spatium naves missurum cum certis hominibus Geographiâ, & navigatione peritis; qui ab Insula Divi Antonii unâ ex Hisperidis ad Austrum simul solverent, atque emẽso mari divisionis terminos signarent. Fœdus autem Alexander Sextus Pontificiâ auctoritate firmavit, dirisque, atque impre-

precationibus devovit illorum capita, qui præſcriptos ſemel limites tranſilire auderent.

Diremptâ hoc pacto lite, ſolutoque legatorum conventu, cùm diſſidium inter hos Principes gloriæ æmulatio eſſet, & in animis ſemper repoſitũ maneret, nullâ rerum compoſitione ſatis pacabantur. Igitur de acquiſitionum limitibus in Mauritania alia controverſia brevì exoritur. Ad explorandum de hac re Ferdinandi conſilium, Joannes Henriquũ Almeidium in Caſtellam miſit; interimque Vimi-

Alia inter eoſdem Reges diſceptatio.

Henriquius Almeidius in Caſtellam mittitur,

nosum, Mirandam, & Brigantium urbes Castellæ finitimas munivit. Solenne erat illi, dum pacem maximè cuperet, bellum jactátiùs parare; ut qui optimè noverat nullum validius pacis vinculum, quàm belli timorem esse. Ferdinandus etiam vitãdi belli percupidus, eodem consilio militarem apparatum affectabat; sed cùm utriusque calliditas, tanquam par à pari vinci neutiquam posset, cognitis invicem animis, tandem negotium iisdem legatis uterque mãdat, qui iterum Turdesilias convenerunt, & re maturè discussâ,

discussâ, declararunt jus inferendi bellum regno Tremessensi Castellanis, Fecensi Lusitanis esse. Constat Joannem secretiora Ferdinandi consilia tam diligenter explorasse, ut Lusitanos legatos sæpe admonuerit de iis, quæ Castellani proximo congressu dicturi erant, ut meditato responso cautiùs agerent: præcipuâ regnandi arte abdita aliorum Principû accuratè rimari. Verùm ne fortè Ferdinandus cognosceret quinam essēt, per quos Joannes admonebatur, homines sibi fidos palam verbis spernebat,

Joannes Ferdinandi consilia scrutatur.

 clam

Rex Scalabim ad visendam Ioãnam venit.

Post hæc cùm Rex Scalabim ad visendam Joanná veniret, materiam præbuit judiciis eorum, qui omnibus Principis hujus factis secretum consilium inesse existimabant; sed præter solicitudinem, quam ex Joannæ familiaritate Ferdinando Regi inferre curabat, nihil nisi cum ipsa se comiter gerere in hoc adventu molitum fuisse, traditur.

Eliã ad visendam Reginam morbo laborandem advolat.

Paucos post dies nuntiũ accepit afferentem Coetobricæ gravi morbo Reginam correptam esse. Ergo ad eam invisendam celeriter excucurrit, & ægrotætam

tam solicitus assedit, quàm conjugalis amor poscebat. Popularium quoque in Reginam studium impros-peræ valetudinis fama mirè detexit; nam licèt prospicerent omnes, eâ defunctâ, posse Regem aliam ducere, quæ regni successores pareret, adeò tamen Eleonoræ virtutes animos devinxerant, ut pro ejus vita omnem utilitatem spernerent, iisque restitutio sanitatis perinde grata fuit, ac morbi gravitas fuerat acerba. Emmanuel etiam, & Brigantina Cœtobricam venere, ac sororem ægram societate foverunt,

Emmanuel quoque, & Brigantina Cœtobricam veniunt.

refotam

ſtatu bellum expediret, licèt alter alteri belli timorem incutere invicem curaret; attamen poſt aliquã negotii altercationem, viſis jam ambobus regibus ad concordiam pronis, placuit Joanni inter conditiones fœderis à Ferdinando validiſſimè deſiderati, petere nuptias utriuslibet Ferdinandi filiarum cum Georgio notho, quo is tãti matrimonii ope, ac decore validior ad regni ſucceſſionem foret. Sed perſpecto Ferdinandi, & uxoris in Emmanuelem ſtudio de obtinendo conatu ipſi Emmanueli pernicioſo

Ipſe nuptias Georgii cum utravis Ferdinandi filia poſcit, at non obtinet.

ſo, deſperavit: deinde ſecũ reputans difficillimum, fore nothum ad regni faſtigium evehere, pollicitus eſt declaraturũ ſe Emmanuelem regni ſucceſſorem, dummodo ipſi Eliſabetham defuncti Alfonſi viduam connubio jungeret; & Eleonoram ipſius Ferdinandi notham filiã Georgio nuptui daret. Nõ reſpuit Ferdinandus conditiones, tanquam rebus ſuis conducentes; ſed quia recens adhuc dolor, quo Eliſabetha propter miſerabile mariti fatum cruciabatur, alias nuptias admittere non ſuſtinebat, agi de

conjugiis desitum, & ad componendam de navigationibus controversiam ventum est. Quæ, ut serio tandem agitata ad fœdus usque deducta foret utriusque Regis procuratoribus conventus, Turdisillis Castellæ oppido instituitur. Joannes ergo Joanni Sousio Beringeli Toparchæ, ejusque filio Joanni, & Ayrio Almadensi criminalium causarum Prætori; Ferdinandus verò Henrico Henricidæ Comiti Albadelistio, Guterrio Cardenæ, & Roderico Maldonato ad ineundum fœdus plenam potestatem fe-

Fœdus inter Reges Turdesillis init tur de novis terrarũ plagis dividendis.

fecere; omnes egregii quidem viri,& negotio pares; quippe qui duos Principes ingenio callidos,ac imperii proferendi avidos, & de vaſtiſſimo dominio diſceptantes , utili utrique concordiâ feliciter compoſuere : illâ ſcilicet pactione , neſcio à cæteris Principibus mirandâ magis, an invidendâ,qua univerſum terrarum orbem ex æquo bifariam ſecuere, ducto ſiquidem circulo ultra Heſperidum inſulas ad viginti ſupra decies centena milliaria verſus Auſtralem polum , partē, quæ in Orientem vergit, Joan-

Joannes (datâ illi ob primæ inventionis jura, eligendi facultate) ſibi deſumpſit, occiduâ Ferdinãdo relictâ, & ut linea orbem ſectura exactè duceretur, pactũ inſuper fuit, utrunque Regẽ intra bimeſtre ſpatium naves miſſurum cum certis hominibus Geographiâ, & navigatione peritis; qui ab Inſula Divi Antonii unâ ex Hiſperidis ad Auſtrum ſimul ſolverent, atque emẽſo mari diviſionis terminos ſignarent. Fœdus autem Alexander Sextus Pontificiâ auctoritate firmavit, diriſque, atque impre-

precationibus devovit illorum capita, qui præſcriptos ſemel limites tranſilire auderent.

Diremptâ hoc pacto lite, ſolutoque legatorum conventu, cùm diſſidium inter hos Principes gloriæ æmulatio eſſet, & in animis ſemper repoſitũ maneret, nullâ rerum compoſitione ſatis pacabantur. Igitur de acquiſitionum limitibus in Mauritania alia controverſia brevì exoritur. Ad explorandum de hac re Ferdinandi conſilium, Joannes Henriquũ Almeidium in Caſtellam miſit; interimque Vimi-

Alia inter eoſdem Reges diſceptatio.

Henriquius Almeidius in Caſtellam mittitur,

nosum, Mirandam, & Brigantium urbes Castellæ finitimas munivit. Solenne erat illi, dum pacem maximè cuperet, bellum jactàntiùs parare; ut qui optimè noverat nullum validius pacis vinculum, quàm belli timorem esse. Ferdinandus etiam vitãdi belli percupidus, eodem consilio militarem apparatum affectabat; sed cùm utriusque calliditas, tanquam par à pari vinci neutiquam posset, cognitis invicem animis, tandem negotium iisdem legatis uterque mãdat, qui iterum Turdesilias convenerunt, & re maturè discussâ,

discussâ, declararunt jus inferendi bellum regno Tremessensi Castellanis, Fecensi Lusitanis esse. Constat Joannem secretiora Ferdinandi consilia tam diligenter explorasse, ut Lusitanos legatos sæpe admonuerit de iis, quæ Castellani proximo congressu dicturi erant, ut meditato responso cautiùs agerent: præcipuâ regnandi arte abdita aliorum Principũ accuratè rimari. Verùm ne fortè Ferdinandus cognosceret quinam essẽt, per quos Joannes admonebatur, homines sibi fidos palàm verbis spernebat,

Ioannes Ferdinandi consilia scrutatur.

clam donis cumulabat; contra quos infensiores sibi rebatur, laudibus ac muneribus publicè augebat, ut illorum fides apud Ferdinandum pro firma, horum pro dubia haberetur.

Hebræi ad colendā Insulam, cui Divi Thomæ est nomen, mittūtur.

Receptis, ut suprà scripsimus, in Lusitaniam Hebræis, cùm Joanni animus foret eos in Christi religionem traducere, multorum parvulos liberos è gremio parentum abstrahere jussit, eosque sacro fonte abluere, & Christianis documētis informare, moxque ut longiore intervallo à parentibus divisi, avitæ superstitionis magis oblivis-

viſcerentur, eos Inſulam, cui noſtri Divi Thomæ nomen impoſuere, culturos miſit. Jacet Inſula ad Africæ oram ſub æquatore, cujus ambitus triginta ſex milliarium ſpatium complectitur; & gravitate cæli, & ſoli amœnitate jucũda potiùs, quàm ſalubris habitantibus ſit. Igitur Alvaro Caminiæ manu prõpto, & mente capaci, negotium Rex mandat, ac ducentos, & quinquaginta aureos pro ſtipendio attribuit, non eâ ætate, ſicut hodie, exiguam mercedẽ; adeò temporum vitia præmiorũ æſtimationẽ imminuũt.

 Poſt

Rex Scalabim ad visendam Ioãnam venit.

Post hæc cùm Rex Scalabim ad visendam Joannã veniret, materiam præbuit judiciis eorum, qui omnibus Principis hujus factis secretum consilium inesse existimabant; sed præter solicitudinem, quam ex Joannæ familiaritate Ferdinando Regi inferre curabat, nihil nisi cum ipsa se comiter gerere in hoc adventu molitum fuisse, traditur.

Eliš ad visendam Reginam morbo laborantem advolat.

Paucos post dies nuntiũ accepit afferentem Cœtobricæ gravi morbo Reginam correptam esse. Ergo ad eam invisendam celeriter excucurrit, & ægrotæ

tam

tam solicitus assedit, quàm conjugalis amor poscebat. Popularium quoque in Reginam studium improsperæ valetudinis fama mirè detexit; nam licèt prospicerent omnes, eâ defunctâ, posse Regem aliam ducere, quæ regni successores pareret, adeò tamen Eleonoræ virtutes animos devinxerant, ut pro ejus vita omnem utilitatem spernerent, iisque restitutio sanitatis perinde grata fuit, ac morbi gravitas fuerat acerba. Emmanuel etiam, & Brigantina Cœtobricam venere, ac sororem ægram societate foverunt,

Emmanuel quoque, & Brigantina Cœtobricam veniunt.

refotam

refotam congratulatione juvarunt. Rex autem postquam uxoris sanitatem publicâ significatione gaudii celebravit, solitam rerum publicarum curam resumens, cùm naves, quas nostri Caravellas vocant, impares hactenus viderétur ad vehenda tormenta, quæ globos magni ponderis exploderent, modum ipse invenit, quo ea navigia ejusmodi tormétis uti possent magnâ rei maritimæ utilitate. In idem bonum publicum intentus, duo castella excitare jussit, alterum prope Cascasium oppidum; alterum ad

Rex duo castella excitare jussit ad Vlyssiponensē portum tuẽndum.

ad Caparicam in Tagi ripa, & ambo ad prohibendum Ulyſſiponenſis portûs ingreſſum perutilia, idoneiſque præſidiariis juſta ſtipendia conſtituit. Plura ad regni tutelam, & gloriam non minùs opportuna inchoavit, aut inchoare meditatus fuit, quæ poſtea Rex Emmanuel, ad cujus tempora omnem Luſitaniæ felicitatem fata reſervarunt, ſummâ cum laude perfecit.

Ipſe Joannes, poſtquam promontorium, cui Bonæ-Spei nomen indiderat, repertum fuerat, detegendæ Indicæ navigationis in-

dies cupidior, claſſi optimè adornatæ Vaſcum Gamam impoſuit, qui maximum illud terrarum promõtorium prætergreſſus, ad Orientis tandem plagas penetraret. Et quanvis immatura mors eandem laudem Joanni inviderit, attamen idem, quem ipſe elegerat Dux, eâdem claſſe, Emmanuelis auſpiciis, maximam, quam ulla ætas vidit, navigationem perfecit, & ſuo Luſitanoque nomini ingétem gloriam, Chriſtianæ religioni maximum incrementum cóparavit.

Rex Vaſcum Gamã Claſſi ad Indica maria detegenda præficit.

Hæc agentem non terruit

ruit diuturnus morbus; quominus ad maiora niteretur, imò animi vigore, corporis imbecillitatem, aut rependebat, aut celabat, mutatiſque ſæpius locis, ac difficiliores aditus præbendo, ne defectio pateret, tandem Eboram venit, cujus cælum hyberno tempore ſalubre exiſtimabatur, atque eò quoque Emmanuel venerat, ſuadente ſorore, quæ recuperatâ mariti gratiâ, fratri ſpem fecit Regem, ut par erat, eum regni ſucceſſorem declaraturum.

Cæterùm amicitia, quæ Joanni cum Carolo octa-

Ioannes fœdus inire cũ Ferdinando adverſùs Carolum Galliæ Regem noluit.

 vo

vo Galliæ Rege intercedebat, adeò Ferdinandum solicitabat, ut Joannem magnis conditionibus invitaret ad societatem fœderis, quod tunc cum aliis Principibus adversùs Carolum feriebat. Id Joannes facere recusavit, non tamen sine quadam verborũ ambiguitate, quæ Ferdinando maiorem curam injiceret, ejusque consilia incerta redderet; sed is quò meliùs de hac re Joannis mentem perspiceret, simulque in ejus valetudine Lusitanorũ animos exploraret, Alfonsũ Sylviũ in Lusitaniã legatũ misit.

Interim

Interim Joannes laudabilia exercere minimè cessabat; quippe argenteam supellectilem, quam ad ferendas belli expensas à sacris ædibus mutuatus fuerat, & omne æs alienum solvere jussit. Quæ jure magis an providentiâ fecerit, dubitari potest, non enim Regibus minus quâ cæteris mortalibus expedit integrè creditoribus satisfacere, quippè qui nullius imperio subjecti, nisi ipsi se juri, & æquitati subjiciant, nemo erit, qui eis pecuniam libenter credat.

Argentum à sacris ædibus mutuatum, & omne æs alienũ solvitur à Rege.

Post hæc cùm Rex ve-

natu corpus exerceret, tá bellè ſe habuit, ut ad priſtinas vires reſtitutus, publicam equeſtrem decurſionem ediderit, cui ipſe præfuit, ac ludorum ſodales convivio recreavit; etenim diſertè pro tempore optimâ Principum arte, ſeveritate, humanitateque utebatur.

Recuperatâ valetudine, Rex equeſtri ludo præeſt.

Eundem annum annonæ inopia infelicem reddidit; quam rei frumentariæ potentes malè auxerunt; quibus, ut publicæ calamitati occurreret, Rex ſuaſit, ut avarè coacervatum frumentum quanti par erat venderent; quo

Frumenti inopiam induſtriâ reparat.

fruſtra

frustra tentato, edicto cavit nequis à Lusitanis annonam emeret. Quâ vetitâ, Castellani spe lucri inuitati, tantum frumenti numerum in Lusitaniam importarunt, ut pretium copiâ vilesceret; itaque eadem Regis industria pauperes sublevavit, & in avaros animadvertit.

Iterũ ægrotat Rex.

Insuper leges in agriculturæ favorem condere, sicut boni publici interest, sũmopere nitebatur, cùm in veterem morbum tam graviter recidit, ut simulationem exuere, & debilitatem fateri coactus, certos administros elegerit, qui

qui quotidianis negotiis incumberent, graviorum decisione sibi reservatâ; ac ne signandis diplomatibus vires languescerent, aut mora expediendis negotiis noceret, annulũ signatorium sculpendum curavit, quo quisque eorum, qui aderant, ne quis propriè hoc munus sibi arrogaret, diplomata muniebat. Deinde duos Senatores ex jurisdicentium senatu vicissim vocabat; quos de libellis aliquam gratiam jure postulantes consulebat; unde originem habuit magistratus, quem postea indigenæ Palatii

Ingravescĕte morbo, adminiſtros elegit, qui quotidianis negotiis incumberent.

Origo magiſtratûs, qui Palatii tribunal appellatur.

latii tribunal appellarunt; desperansque nothum filium in regnum succedere posse, cœpit de testamẽto, & ejus commodo cogitare; ad quod cùm Reginæ favor multum proficeret, filium in ipsius gratiã reducere summoperè curabat; quo non semel frustra tentato, socrûs, & Pacensis Ducis operam etiã incassum adhibuit. Quippe Regina seu violati conjugii memor, cujus offensam fœminæ, vel virtutibus præditæ ultimã obliviscuntur, seu timens ne privigni præsentia filii amissi desiderium perpe-

tuò renovaret, poſtquam Rex Georgium ab aula ſeparavit, nunquam ipſa ad colloquium, aut conſpectũ admittere voluit. Emmanuel verò quanvis cognoſceret ſibi non expedire Coronæ æmulum in Reginæ gratiam reſtituere, cùm tamen ex Regis indignatione maius incõmodum timeret, adeò negotium temperanter egit, ut nec ſororẽ devinceret, nec Regis offenſionem ſubiret.

Curis, morboque vexatum Rodericus Souſius, qui eâ tempeſtate apud Caſtellæ Regẽ legati munere

nere fungebatur, admonuit Alfonſum Sylvium, quem, ut ſuprà retulimus, Ferdinandus ad Joannem legaverat, ſpecie quidem negotia gerendi, re autem ipſâ non alium animum habere, quàm Joannis valetudinem ſedulò explorandi, ac de ejus exitu Ferdinandum quàm celerrimè certiorem faciendi. At legatus tam celeriter confecit iter, ut inexpectatus Regi propè Alvitum oppidum obviam occurrerit, & cùm ibi ad Regem officioſus accederet, ipſe de more geſtientium equitum, equum calcaribus incitat,

Alfonſus Sylvius Ferdinandi Regis legatus, ad explorãdam Ioannis valetudinem mittitur.

citat, & elevato brachio ait: *Alfonse, adhuc lacertis vires constant ad præliandum*, & dum parum reticuisset, *cum Mauris* addidit. Optimè intellexit Alfonsus tacitum verborum sensum, sed perinde ac si non intelligeret, respondit, gratissimum Ferdinando fore rescire ipsum Joannem meliùs valere, quàm fama vulgaverat. Mox, ut mandata exequeretur, colloquium petit, & concesso, Joanni suadere curavit, ut cum multis Principibus fœdus inire vellet adversus eos, qui Christiani orbis quietem perturbarent, & Romanum Ponti-

Rex sanum se esse legato demonstrat.

Ad novum fœdus feriendū Joannes à Ferdinādo invitatur, sed frustra.

ficem

ficem impiè vexarent. Huic orationi Joannes respondit, se quidem *omnibus Principibus pace, multis amicitiâ, quibusdam etiam sanguine conjunctum esse, & ideo nequaquam ipsi licere tot, & tanta vincula, nullâ intercedente causâ, frangere, præsertim cùm Summus Pontifex non tanquam Pontifex, sed tanquam Princeps, bellis se implicaret, multò sibi fore facilius, & pulchrius belligerantes Principes pace componere, si ab iis motibus separatus, & in medio positus, operam suam sincero animo, & à partium studiis alieno, interponeret.* Simulatio ab utroque adhibita neutrum fefellit, & quanvis alter alterius animũ cognosceret, ignorare tamen ostendit. Sed cũ legatus accepto responso

 de-

declaraverit in Lusitaniâ commorari se velle, ut negotia subinde tractaret; apertè patefecit consilium observandæ Regis valetudinis. Ipse autem, utpote cujus spiritus languore virium minimè deficiebat, eum Stremotium oppidũ misit, ibique quasi retentũ custodibus sepsit adeò acribus, ut ne literam quidem, nisi prius interceptam, in Castellam mittere posset.

Joannes apparitorem instaurat

Interim apparitorem jã antea à Rege Joanne primo creatum, & postea abolitum, denuo creavit, qui duodecim electis stipatoribus semper palatio adsisteret

ſteret eo mandato, ut ſiquis cujuſvis conditionis inter palatii terminos ferrum denudaſſet, ſtatim ab eis occideretur; & quanvis hoc feciſſet obtentu ſedandi diſcordiam, quæ inter Jacobum Almeidiũ, & Joannem Souſium ex levi cauſa exorta fuerat: attamen nonnulli credidere conſilium Regi fuiſſe terrorem incutere eis, qui adverſâ Regis valetudine allectati, moliri res novas auderent.

Denuo correptus morbo ſuprema componit.

Cæterùm ingraveſcente morbo cognovit adeſſe tempus componendi ſuprema, ac prius de animi ſalute,

ſalute, quàm de corporis ſanitate curare volens, noxiis ſacrâ confeſſione expiatis, & ſanctiſſimo Domini corpore Chriſtiana pietate ſuſcepto, in intimũ cubiculum ſeceſſit, uno Joanne de Povoa ex Divi Franciſci ſodalitio ejus cõſcientiæ moderatore, ad condendum teſtamentum admiſſo; quem quidem meritò Rex ad tantum munus adſciverat, ob ſingularem modeſtiam, & rerum humanarum contẽptum, quam ipſe virtutem in dignitatibus ſæpe à Rege oblatis conſtanter ſpernendis, mirificè oſtendit.

Et

Et quanvis auctores tradant testamentũ per memoratum Joannem scriptum fuisse; regemque suâ sponte Emmanuelem ad regni successionem vocasse; traditur tamen, cùm Antonius Faria id scriberet, volenti Regi nothum filium hæredem declarare, obstitisse Antonium, monuisseque Regem ne famã suam læderet tam iniquè de regni successione decernendo, nec etiam in posterum discordias sereret inter filium, & uxoris fratrem, & venturos in utriusque partes. Quod consilium (si vera est fama)

Emmanuelem testamẽto Regni successorem declarat.

tam laudabiliter Rex suscepit, quàm injustè contrà meditabatur; hoc autem sanè, sicut à maioribus accepimus, ita posteris tradidimus, cùm ne invidere Antonii præclaro facto videamur, tum ut noscant Reges quantum sua intersit ad res magnas talibus viris uti, qui, ut veri copiã faciant, ipsis Regibus contradicere non vereantur: quippe si Rex nullo contradicente filii amore abreptus meditata perfecisset, præclarum nomen egregiis factis acquisitum turpiter cõmaculasset. Sed quicunque fuerit suasor,

ex ipſo facto apparet quátùm jus apud Regem valuit, quádo æquitatis amore paternum affectum vicit.

Poſthæc ſuadentibus medicis in Algarbiam, ut Mónchicanis thermis uteretur; filio, paucíſque comitantibus proficiſcitur, manente Reginâ Salaciæ cum fratre ad mariti reditum ibi moraturâ. Ipſe itinere feliciter confecto, quanvis medici propter algorem (adventabat enim nimis frigida hyems) eâ tempeſtate balneorum uſum improbaſſent; ſanitatis tamē cupidine balneum ſemel

Ad Menchicanas thermas proficiſcitur.

Thermarum usu bene se habet, sed venatûs agitatione ingravescit morbus

atque iterũ intravit, quod tam bene cessit, ut consentientibus medicis, posterò die venatum iverit, sed intempestivâ corporis agitatione morbus repentè invaluit, defeceruntque vires, & ipse desperatâ sanitate, relictis thermis, Alvorũ oppidum se recepit, ibique omni negotio abstinuit; quod cùm esset contra ipsius morem, semper ad Regis munia implenda intenti proximæ mortis famam vulgavit; quæ etiam filii separatione in Villamnovam missi percrebuit. Atque inde qui ex minimis Regum factis maiora con-

conjectare solent, suspicabantur Emmanuelem à Joanne successorem declarari. Et sanè postquam Rex id facere seu necessitate, seu jure in animum induxit, volens vivâ voce eum futurum Regem destinare, ut hoc amoris documẽto ejus favorem filio conciliaret, Salatiam quendã ex primoribus misit, qui Emmanuelem & literis, & Regis nomine ad eum invisendum magis amicè invitaret, quàm imperiosè juberet. At ipse non explorato Regis cõsilio, imò veritus ne fraus aliqua ibi subesset, Salatiæ se conti-

Emmanuelem ad se vocat.

 nere

Emmanuel Salatia subsistere decernit, sed postea lente iter facit.

nere propter Ulyssiponis propinquitatem, ne urbẽ caput rerum omitteret, tutius putavit, donec accepto tertio Regis mandato, metuens ne si diutius cunctaretur, obedientiam apertè exuere visus foret, viæ se cõmisit, sed tam lento gradu, ut qui magis expectare mortis nuntium, quàm ægrotum invisere curabat; ac tandem cùm cognovisset labi Regis spiritum, neque ultra biduũ victurum, substitit in vico, cui Colos nomen est, moramque excusavit obtẽtu comitandi Reginam, quæ venire ad maritũ volebat.

Interea

Interea jam corpus, jam vires Joannem nondum Regiæ maiestatis cura deserebat, quippè curantibus qui aderant, eum è veterno excitare, Jacobo Almeidio Regiam barbam violentiùs apprehendenti experrectus ait: Reverentius erat pedes, quàm os manu tangere.

Rex eos qui ipsum irreverenter a veterno excitant reprehendit.

Sed desperantibus jam penitus medicis, parare funus administri jusserũt, quo evulgato mortalitatem explevisse creditur, & multo gratulantium concursu ad capienda regni primordia Emmanuel egreditur, cùm subitò affertur

Emmanuel vulgatâ Regis morte Regni primordia capere parat, sed restituta sanitatis nũtio cohibetur

fertur redire vocem Joanni,& vitæ ſpem adeſſe. Pavor inde Emmanuelis amicis verentibus ne tam præmatura lætitia ipſis in exitium verteret,auxerútque terrorem literæ Regis ad Reginam datæ, quibus de ſanitate recuperata eam certiorem faciebat. Non ita populus,imò quantùm mortuo Rege ſuo mœrebat, tantùm lætabatur redivivo, Alvori præſertim, ubi exultantium agmina tanto lætitiæ impetu in Aulam accurrerant, ut ne à cuſtodibus quidem arceri poſſent. Et Rex publici furore gaudii recreatus januas

Populus lætatur.

nuas aperire jubet, ut populum ſui aſpectu ſatiaret, ipſeque ejus amore frueretur. Mox filium, cæteroſque familiares ad ſe vocat, qui præſentem felicitatẽ mutuis ſermonibus extollentes, recuperatam ſanitatem juvabant. At hæc lætitia non ultra biduum duravit, quippe denuo ingruente morbo lethalia ſymptomata omnem ſpẽ vitæ abſtulere. Ibi omnibus ignavo quæſtu moriẽtem proſequentibus, nemo erat, qui ei ultimum diem denuntiaret, quanvis ipſe antea medicis hoc munus injunxiſſet, donec

At morbus fortiùs ingruit.

Epiſcopus Tingitanus, & Iacobus Almeidius Regi ultimũ diem denuntiant, qui de æternitate curat.

Epiſcopus Tingitanus, & Jacobus Almeidius ſuæ fidei eſſe hoc ultimum officium, & ad æternam ſalutem neceſſarium præſtare exiſtimantes, ad eum obortis lacrymis acceſſerunt, dolore verba interturbante, jam diu vivere, niſi Dei ope, non poſſe, ægrè ſignificant. Quo ſerenâ fronte audito, eorum fidem laudavit, & gratias egit; ſtatim omni mortalis vitæ negotio relicto, de æternitate ſolùm curare intendit: in cubiculo altare erigere, in eo Chriſti Cruci affixi, Beatiſſimæ Virginis, Divique Joannis ima-

imagines collocare, iterare noxarũ confeſſiones, peccatorum pœnitentiá verbis, ac ſignis edere, atque Ario Sylvio maximo cubiculario ſcribente teſtaměti codicillos condere, quibus iterum Emmanueli regnum mandavit, ut hac repetitâ declaratione quod antea cõtra meditatus fuerat, expiaret, eique filium peramanter, ac prolixè cõmendavit. Ipſos codicillos per Arium Sylvium,&Alvarum Caſtrium veteres fidoſque familiares Emmanueli miſit, ut tam læto nuntio novi Regis gratiam adipiſcerentur, &

Codicillos cõdidit, & Regnum iterũ Emmanueli mandat,

Fff ij Geor

Georgio filio apud illum, faverent; deinde unicuique familiarium ultimum vale dixit, & ab uxore, socru, ac Georgio Costia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinale præteritarum offensionum, siquæ erant, oblivionem petiit. Nobili viro, qui per plagas Christi Domini ab eo munus petebat, libenter largitus est, confessus nihil se unquam negasse, quod hoc respectu petitum fuisset; moxque importunis efflagitationibus modum imposuit, dicens, nolle se alieni jam regni opes profundere. Cùm verò Annæ Men-

Postrema Regis facta, dictaque.

doceæ

doceæ Georgii matri annuos redditus attribueret, diploma profusis lacrymis pœnitentiam testantibus obsignavit, non dissimulans adeò se in libidinẽ pronum fuisse, ut nunquã frustrà ad peccandum provocaretur. Dein historiam cruciatûs & mortis, quam Christus Dominus pro humana salute passus fuit, legere jussit, summâque pietate audiit. Parique moderatione honorificam appellationem, quæ tunc apud Reges celsitudo erat, rejecit, dicens se jam miserũ hominem, nec quidquam ultra esse. Episcopũ,

quem ipſe ad id ſacerdotiũ promoverat, quia ejus mores ſacro inſtituto malè reſpondebant, electionis pœnitentiâ ductus, ſeverè increpuit, iſque in poſterum correctionem promiſit. Jam pene ultimum ſpiritum agebat, mente tamen, animoque conſtabat, & Epiſcopo Tingitano, qui ipſum in extremo vitæ articulo eſſe putabat, ob idque morientiũ preces adhibebat, nondum tempus eſſe dixit, & duarum horarum ſpatium reſtare. Sumpto tandem iterum cæleſti cibo, & ſacro oleo unctus, recitans ... ſacrum

ſacrum illud carmen: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere mei; animam placidè exhalavit die ſolis appetente nocte, VIII. Kalendas Novembris An. ſalutis M.CD.VC. Vixit quadraginta annos octoque menſes, regnavit annos quatuordecim, ac menſes duos. Corpus regio funere humeris primorum, qui aderant, Sylvim urbem elatum, & in maxima ſacrarum ædium depoſitum, unde poſtea Rex Emmanuel Bataliam in regium conditorium transferre juſſit. Translationi interfuere Jacobus Dux

Rex moritur.

Dux Brigantiæ, & Alvarus Portugalus ejus patruus jam ad priſtinas opes reſtituti, magnuſque nobilium numerus. Coramque omnibus nudatum fuit corpus, & integrum, incorruptumque repertum, eoque modo huc uſque permanere fertur, quod nonnulli ſignum ſanctitatis eſſe exiſtimant, de qua opinio mortem ſecuta eſt, nam theca ab Epiſcopo Tingitano, & Jacobo Almeidio fortè inventa eſt, quam Rex ſecretò ſervabat, & opinantes in ipſa venena occultari, quibus aliquorum mortes

Ejus corpus dum ad Regium conditorii transfertur, incorruptum reperitur.

Regem

Regem festinavisse inimici vulgaverant, thecam aperuere animo cremandi venena, ne reperta ab aliquibus forent, qui mortui famæ non parcerent; sed pro venenis invenerunt flagella, & alia cruciandi corporis instrumenta. Unde apparet quàm iniqua de Joanne sparserint calũniatores. Nobis autem non licet sanctitatis nomen cuiquam attribuere, cùm Romani Pontifices, quorũ decretis sanctè obtemperare debemus, id sibi reservaverint.

Regis mors, quia de ejus valetudine lætiores nuntii

vulgati fuerant, maiori Lusitanorum luctu accepta est, eumque populus, quasi iterum ablatũ, acriùs ingemuit.

Ejus corporis habitus.

Staturâ fuit paulo proceriore, corpore usque ad adolescentiam gracili, postea obeso, facie oblongâ, & inter albam rubramque decorâ, oculis nigris ac jucundis, sed qui, cùm irasceretur, rubescerent, timoremque intuentibus incuterent, naso justæ mensuræ; capilli erant densi, ac subflavi, & quanvis intempestivè canescerent, non sivit canos avelli.

Cæterùm qualis quantusque

tusque Rex Joannes fuerit, ipsa historia docet. Ejus igitur elogium ex relatis lector excerpet, quibus sufficit adjicere, & vivum laudasse, & mortuo indoluisse exteras nationes, ac Reges, quanvis aliqui hominem non amarent. Adeò virtutes valent, ut eas vel inimici fateri, ac venerari cogantur.

FINIS.

SI fortè libellus aliqua verba contineat, quæ ethnicorũ ritus redoleant; Auctor profitetur eo animo ſcripta eſſe, ut Latinæ linguæ candor ſervetur,& in Chriſtianum ſenſum accipiantur, ſeque,omniaque ſua Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ decretis libentiſſimè ſubmittit.

INDEX

INDEX

INSIGNIUM RERUM, quæ hoc in libro continentur.

A

Anna

B

Bri-

C

D

E

 Fer-

G

H

I

Ioanna

cerum

Legati

L

M

N

O

Palatini

P

R

S

Targa

T

V

Ulyss.

Z

LAUS DEO.